DE SATIRAE ATQUE EPISTOLAE HORATIANAE DISCRIMINE

SCRIPSIT

CAROLUS MORGENSTERN.

LIPSIAE ET GEDANI,

APUD I. G. DYKIUM ET F. TROSCHELIUM,

MDCCCI.

(EXEMPLARIA DIVULGATA NON SUNT PLUS QUAM CL.)

[illegible]

[illegible]

[illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

CAROLUS MORGENSTERNIUS

S. P. D.

CHRISTOPHORO MARTINO WILANDO.

Duo sunt doctae antiquitatis loca, quibus animus meus cum praecipua voluptate immoratur: apud Graecos coetus ille Socraticus, ubi vel sapientissimi senis sermoni saluberrimo, vel discipulorum alterius narrationi dulcissimae, alterius dissertationi et rebus gravissimae et verbis pulcherrimae, bibula aure ducentem vitae consilia ac solatia iuvat adstare; apud Romanos circulus ille Horatianus, cui assumti humanissimi Poëtae, qui Socraticae disciplinae ipse erat alumnus, candore, lepore atque urbanitate mirum in modum tenemur et recreamur. Quo magis igitur utriusque loci amoenitatem Tibi arridere par est, WILANDE, *qui divino animo Tuo praeterita ceu praesentia cernis, eaque perfruenda non Tibi servas, sed nobiscum, quibus Tuo saeculo contigit esse natis, communicare amas, nunc vel Agathonem vel Aristippum cum aequalium praestantissimis nobis reducens, nunc Flacci sermones, moresque ipsius atque amicorum, mirifica solertia et fide referens ac repraesentans. De Horatio quidem recordor, qua hilaritate Tu quondam in Osmanstadiani Tui oeco superiore, quae eius parietes ornant, Horatianae villae imagines eleganter delineatas mihi monstrabas, quam libenter illo aspectu quasi aëre miti et salubri circumfusus habitus, suavissime denarrans. Ubi in promtu erat, vitam rusticam Tuam, ad cuius consortium Musae Gratiaeque omnes convolarunt, comparare*

cum Horatiana illa. Quanquam Tu mihi, quidem, licet Horatium, aequissimi animi hominem, perbeatum fuisse putarim, beatior etiam videbare; qui et naturae singulari felicitate, et virtutis Tuae rarissimo fructu, ad id aetatis progressus, quo pauci perveniunt, vigore et alacritate iuvenili senectutem non temperes modo, sed paene permutes, ut nunc serenissimo autumno, nunc rursus laetissimo prorsus vere gaudentem Te salutemus; qui porro haud solus, nec cum lectissimis amicis tantum, summo, quod in mortales cadit, bono utare, sed etiam cum dignissima coniuge, cum liberis et nepotibus carissimis; qui pectoris inexhausti calorem nunquam ne tepere quidem sinant, perpetuum quasi vitae celebres convivium.

Horum non immemor, senum optime et beatissime, vides fieri non potuisse, quin Horatium identidem relegenti Tui persaepe sponte se obtulerit memoria. Nec vero, haec de Satiris atque Epistolis quum commentabar, alienum existimabam, si quando Te revisendi copia foret et res ita ferret, Tibi hunc quoque libellum ostendere. At id, mihi crede, minime tunc meditabar, Tibi potissime opusculum mittere et dedicare. Nam alioqui pudor meus vetuisset, in eo et aperte dilaudare virum, qui mea laude omnium facillime caret, et palam reprehendere, qui mea reprehensione longe est superior. Sed quid narro? Dicam plane quod sentio, Vir summe. Etiamsi libelli ad Te potissimum deferendi consilium, antequam descriptus erat, cepissem: vel tum, si bene me novi, securus de superborum hominum fastidio, quibus quam vehementer hac scilicet fronte stultus ego sim displiciturus, facile praevidebam, id quod commisi, commisissem. Animo nimirum meo indulgebam

et

et meritis de Horatio Tuis concelebrandis, et, si qua in re a Te dissentiebam, dissensionis caussis expromendis. Nunc ut res cecidit, nec gratum illud pudet, nec veri studiosum hoc poenitet. Laudibus enim istis Te scio ignoscere Tui admiratione non magis quam summa in Te pietate incenso eosque sensus in adolescentulos meos transfundere aventi; dissensionem autem, etiamsi reprehensionis speciem non fugisset, Te etiam probare et collaudare. Nonne enim Te unum omnium simplicissimum, verissimum, antiquissimum, qui nihil reconditi habeat, omnes recessus oderit et aversetur, quidquid quisque recte egit, candidissime comprobet, quidquid male, liberrime improbet gravissimeque coarguat, ex consuetudine eheu! nimium brevi cognitum habeo et perspectum? Quem eundem scripta illa immortalitati consecrata multis locis loquuntur ita prorsus sentientem: Verum nemini mortalium esse addictum; quemvis ex eo, quo collocatus est, loco, quandam, quantulacunque est, veri particulam, quae acutiores etiam fugerit, et assequi posse et illis, vel gratiae quodammodo referendae caussa, monstrare debere.

An his, quae dixi libens, violatum ob animi iussa pudorem aliis excusare possim, nec scio nec curo. Omnino autem video fore, qui mirentur totum hoc, tantillam scriptionem offerri tanto viro. Quos credere confido, aliter me fuisse acturum, nisi idem ille esset hominum indulgentissimus, qui a se pulcherrima, sibi difficillimus, in quovis genere postulet, facillimum aliis se praebeat; ut, in quacunque re vel aliqua rectae indolis significatio apparet, eam comiter excipere soleat humaneque fovere. Quandoquidem Tu talis es, WILANDE, ne aegre quidem feres paucis, unde haec scriptio nata sit, narrantem.

Quum

Quum enim in Athenaeo Gedanensi mos fuisset aliquot abhinc annis intermissus, cives in Academiam abituros beneficia quaedam a maioribus constituta obtinere publica disputatione, oblatam non inutilis rei revocandae opportunitatem nolui omittere. Proposui igitur familiarium cuidam locum de Satirae atque Epistolae Horatianae discrimine, in publicis lectionibus a me adumbratum, tanquam argumentum, cuius explicatio uberiorem praeberet disserendi materiam. Sed quum perbonae spei iuvenis ille, cui id mandaram, nec mihi satisfecisset nec sibi, illico ad scribendum ipse accessi. Poterant autem tum, id est anni CIↃIↃCCXCIX *m. Octobri, ob temporis, instante adolescentis itinere, angustias nonnisi priores plagulae, adiecta reliquae disputationis summa, a typographo describi. Iam oblitus eram institutae opellae. Non enim is sum, quem, quidquid vel tibi vel scholae tuae scripseris, in lucem protrahere iuvet. Ecce mihi admonitor. Scilicet sors tulit, ut per* HUFELANDUM, *ICtum Philosophum, qui patriam urbem invisens publicae adesset disputationi, me ignaro libelli exemplum perveniret ad* EICHSTAEDTIUM, *Philologum Ienensem. Hic de re ipsa mihi assentiri; ad telam, quam inchoassem, pertexendam me cohortari, tum privatim, tum vero etiam publice in Epistola ad* ASTIUM *suum libello de Platonis Phaedro adiecta. Eruditissimo viro non obtemperare, aut male verecundi erat aut parum officiosi; praesertim quum ille exspectare iure suo tale obsequium posset ab amico. Sic igitur, quod proprie scholae scriptum est, paucis certe exemplaribus, meo quidem periculo iam fugiat, quo descendere gestit. Quae narrasse taederet, nisi, si quae forte reperientur vestigia scriptionis*

inter-

interruptae, caussâ rei cognitâ faciliorem eius veniam apud Te certe mihi futuram sperarem.

Tu in his chartis si quid inveneris, quo provoceris, ut Tuis commentationibus Horatianis accessionem fieri iubeas ex uberrimis elegantissimae doctrinae Tuae copiis: ea provocatione saltem, licet haec qualiacunque iudicentur esse nihil, de aliis bene meruisse mihi videbor, nec poenitebit importunitatis me meae, etiamsi Tu, forte legens aut tacitus, male impulsus, excandescens: Molestus! communi plane sensu caret.... *Ain' Tu,* WILANDE? *Non ais de me Tu, divine senex! Adest alma imago Tua leniter arridentis, inprimis mane et vesperi, dum late silent cuncta; ut olim Osmanstadii, quum sol supremus venerandum caput circumfunderet radiis candidissimis, egoque qui aegre linquerem omnem illam, quam Vos, humanitatis lumina, illustratis regionem, a Te tandem aliquando discederem Quo enim animo me, qui beatus mihi viderer, si semel aspicere contigisset Archytam Tuum, aut alium quem magnum antiquitatis virum ex aurea illa aetate, qua Poëta et Philosophus amicissime conspiraret in consummatae humanitatis speciminibus, quo igitur animo, quo sensu me a* TE, WILANDE, *abiisse putas? Alios esse scis, quibus patria est, ubicunque bene est; qui praesentibus rebus quibuscunque facile et agitati et contenti, absentia multum nec desiderent nec recordentur: aut quotidianae vitae negotiis immersi, aut Phaeacum levitate prorsus scilicet iucunde otium ludentes Alios esse non ignoras, qui in se demissi, inter peregrinos aequo fere passu transeunt per vitam,*

non

non magnopere extra se respicientes, secum maxime vel in turba viventes; qui etsi perraro inveniant aetatis progressu in hominum usu, quod vere suspicere queant ac revereri, inexplebili tamen desiderio feruntur habendi, quos non solum suspicere possint et admirari, sed etiam ex animo venerari atque amare. Eiusmodi hominibus si quando, non in mente duntaxat, sed in ipso vitae curriculo, species quaedam augustior apparuit: manet illa, nec a vigilantibus nec a somniantibus recedit, ducitque tranquillos, Genii instar, per id quod restat viae, et excitat languentes, et hortatur deficientes, et aegros solatur ac tranquillat. Talem Tibi hunc hominem tradidi, cui longissime remoto et seiuncto ab iis, qui amicitia sua iuventam pure beabant, ad mare quoddam septentrionale sub immiti caelo tardi fluunt dies. O si contigisset, id quod ne Tibi quidem ingratum fore significabas, non procul a Te, ut amico licet meo, transigere reliquum vitae! Sed modum votis imponere ab Horatio nostro mature edoctus, hac cogitatione me erigo et consolor, in sanctissima anima etiam nostri aliquam exstitisse atque exstare memoriam. Quam ut integram conservare mihi possis, me omnem operam daturum, si quid de me promittere vere possum, promitto. Te, meas si superi audivere preces, ego dum hac luce fruar, non ut antiquitatis heroas, sed vivum humanissimae virtutis et sapientiae exemplum intueri potero ac venerari. Dat. Gedani, m. Septembri, ipso Tuo natali, CIƆIƆCCCI.

ADUMBRATIO QUAESTIONIS
DE
SATIRAE ATQUE EPISTOLAE HORATIANAE DISCRIMINE.

QUAM DISPUTATIONEM

PRAESIDE

CAROLO MORGENSTERN

PHILOSOPHIAE DOCTORE, ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

D. III. OCTOBR. MDCCXCIX.

IN AUDITORIO MAXIMO ATHENAEI GEDANENSIS HORA IX.

PUBLICE DEFENDET

C. C. FELSS, GEDANENSIS, I. U. C.
STIPENDII FISCHERO - FERBERIANI ALUMNUS,

ADVERSARIOS HABITURUS

I. C. B. DE WOBESER, POMERANUM, I. U. C.
I. W. L. BAERREYSEN, GEDAN., TH. C.
E. G. A. BOECKEL, GEDAN., TH. C.

GEDANI,
FORMIS DAN. LUDOV. WEDEL,
MAGNIF. SENATUS ET ATHENAEI ILL. TYPOGRAPHI.

AEQUO LECTORI S.

Ergo vix descripta secunda plagula abrumpendum erat disputationis filum? Nimirum ita iussit saeva Necessitas . . . Durum! Sed (nam optimus Flaccus ipse aegrum solatur) levius fit patientia, Quidquid corrigere est nefas. Scilicet irrevocabilis instat itineris dies, nec moram patiuntur, quae almae Fridericianae praesident, Musae. Pegasis quum uti in officina non potuerit Typographus, pluribus praeterea negotiis distractus, operae intra malas concessi temporis angustias, Praesidi certe minime imputandas, ad finem libelli non pervenerunt. Ne tamen disputandi deesse videretur materia, quamquam vel sic non desit, placuit adiicere Thesium forma partem eorum, quae fere sequentium plagularum futura erant capita. Vos vero, Humanissimi Cives, qui nihil, quod ad eum, quem in deliciis habetis, HORATIUM Vestrum attinet, a Vobis putatis alienum, si forte Vos cepit loci ipsius amoenitas, certiores his literis fieri voluit Praeses, se, quam primum oblata fuerit opportunitas, cauturum, ne in reliquis eius loci partibus peragrandis idem vel dux vel comes diu Vobis sit quaerendus.

THESES.

THESES.

I. Alterum Satirarum et Epiſtolarum Horatii discrimen cernitur dicendi genere; diverſo quodam orationis colore ac temperamento. In Satiris apparet riſor facetus, in Epiſtolis gravis morum magiſter; in illis Comici, in his Philoſophi elucet ingenium magis.

II. Cauſſae huius discriminis ex aetatis potiſſimum, qua utrumque σωμάτιον perficeretur, diverſitate atque ex mutatis Poëtae ſtudiis vivendique rationibus ſunt repetendae.

III. In Epiſtolis metri ſtudioſior fuit Horatius, quam in Satiris.

IV. Tertium Satirarum atque Epiſtolarum Hor. discrimen, idque primarium, eſt in *forma*, quae in Epiſtolis certa eſt, in Satiris non eſt.

V. Recte tamen negat Duſchius, certae perſonae appellationem ſufficere ad Satiram atque Epiſtolam diſtinguendam.

VI. Male Geſnerus Satiram primam cenſuit propter appellatum ibi Maecenatem Epiſtolam poſſe vocari.

VII. Non bene ſcripſit Caſaubonus, tres ex Perſii Satiris ab appellatum ibi Plotium Macrinum, Annaeum Cornutum et Caeſium Baſſum eſſe Epiſtolas.

VIII. Trium illarum notarum ope, vel poëmatum materia, vel forma, vel dicendi genere, omnes Satirae atque Epiſtolae Horatianae, ſi caſu turbatae eſſent et permiſtae, ſatis poſſent dignoſci atque ad genus ſuum revocari.

IX. Ne ſexta quidem libri primi Satira, etſi Epiſtolae proxime accedat, eſt Epiſtola; imo, ſi eſſet, quadam ratione foret inepta, quum Sermo ſit pulcherrimus.

X. In Epiſtola ad Numicium dicendi modus multo minus eſt ſatiricus apud Horatium ipſum, quam in Wilandi verſione.

DE SATIRAE ATQUE EPISTOLAE HORATIANAE DISCRIMINE.

I.

Quae ſolae raram atque eximiam inventionis laudem HORATIO pepererunt, eumque ſui duntaxat ſimilem nobis praeſtiterunt, Satirae atque Epiſtolae quum duobus quaſi corporibus ab ipſo ſeiunctae [1]) di-

A versis-

[1]) An Horatius *Satirarum*, aut potius, quod maiori nititur auctoritate, *Sermonum*, atque *Epiſtolarum* titulis utrumque opus ipſe diſtinxerit, id certis quidem argumentis probari non poſſe videtur. Probabile tamen eſt nobis reputantibus, quae de diſcrimine utriusque generis in Diſſertatione obſervavimus tam aperto, ut Horatium ipſum in utroque opere conſilia diverſa ſecutum, eiusque rei ſibi conſcium fuiſſe, idque etiam inſcriptione ſignificaſſe arbitremur; quamquam titulos ſcriptorum felicioris illius aevi Poëtas parum curaſſe conſtat,

Satirae

versisque vitae aetatibus sint editae [2]): mirari subit, quaestionem, an utraque haec σωμάτια, sive materia, sive forma, distent, nec ne, aut plane esse omissam, aut vix mentione delibatam. Id quod eo magis mi-

rere,

Satirae quidem nomen de Sermonibus Horatianis occurrere notum est Serm. II. 1, 1. (*Sunt, quibus in Satira videar nimis acer* &c.); II. 6, 17. (*Quid prius illustrem Satiris Musaque pedestri?*); *Epistolae* autem in ipsis Flacci operibus non reperitur nisi Epistola II. 2, 22. (*Ne mea saevus Iurgares ad te quod epistola nulla veniret*): qui locus tamen de literis vulgari modo scriptis rectius intelligitur. In ea quidem, quae pro antiquissima, quae exstet, habetur scriptorum Horatii enumeratione apud SIDONIUM APOLLINAREM Carm. IX. vs. 223, 224. (ed. Sirmondi Paris. 1652. 4. p. 358.), utcunque locum interpunxeris, singulatim certe laudantur *Epistolae* et *Sermones*.

2) Sequor Bentleianam temporum, quibus Horatius poëmatum libros perfecerit, rationem in summi Critici Praefatione propositam. Ex eius computatione Sermonum librum primum Noster triennio absolvit intra annos aetatis XXVI (A. V. 715), XXVII, XXVIII; postea secundum triennio itidem, annis XXXI, (A. V. 720), XXXII, XXXIII; Epistolarum autem primum biennio, XLVI (735), XLVII; (Epistolarum quidem primum librum edidit Apuleio et Silio Nerva coss. ab V. C. 734. aetatis anno XLV. Nam ipse scribit Epp. I. 20. extr., se Lollio et Lepido coss. ab V. C. 733. mense Decembri annum aetatis XLIV impleſſe); postremo Artem Poeticam et Epistolarum librum alterum, hunc quidem annis incertis.

Artem

vere, quandoquidem ex tot de historia literaria scriptoribus nemo non Venusini vatis opera singula recenseat; elegantissima autem recentiorum ingenia toties tam diligenter occupata fuerint vel minutissimis, quibus Musae Horatianae venustas, tanta illecebrarum varietate amabilior, sui studiosos tenet, lineamentis et indagandis et digito quasi monstrandis. Verum omnem de ullo graviori inter utrumque genus discrimine cogitationem statim depellere possit gravissimorum virorum auctoritas. Ipse enim ille, qui illustrandis urbanissimi Poëtae Atticis plane sermonibus illustre egregiae interpretationis exemplum proposuit, WILANDUS, passim utrumque genus fere permiscet [3]). Quid? quod nuper-

Artem Poëticam vero tametsi Bentleius in Praefatione itidem incertis assignet annis, in ipso Commentario tamen (ad A. P. vs. 387.) tempus constituit. Ibi enim ait, Ciceronis Epistolam ad M. Marium, quae prima est libri septimi, scriptam esse XL prius annis quam Artem Poëticam. Atqui epistola haec scripta est Pompeio et Crasso alterum consulatum gerentibus, ab V. C. 699. Ergo scripsisset Horatius Artem Poëticam ab V. C. 739, M. Druso Libone, L. Calpurnio Pisone coss., anno aetatis L., ante mortem VII annis. Huius rei significationem debes REIZII sagacitati, qui eam Horatii Bentleiani exemplo Lipsiensi, quod ipsum iam in nostra est Bibliotheca, adscripsit.

[3]) Vid. Epistolarum versionem editione secunda T. I. p. 115. Satirarum prima T. I. p. 8.

nuperrime Criticus minime contemnendus, MANSONEM dico [4]), Horatii Epistolas Syllogen vocavit ab ethicis eius Satiris nonnisi inscriptione diversam. Illis igitur ipsis, qui Satirae Romanae naturam atque indolem accuratissime cognitam ac perspectam mente tenerent, nihil fere discriminis statuentibus, universae historiae literariae scriptores illorum nimirum secuti sunt exemplum [5]).

II.

Haud scio an ad permiscendum genus utrumque inde a longo tempore multum valuerit eruditissimi Philologi, quum de antiquis literis iuvandis, tum de indaganda atque exploranda Satiricae Romanorum poeseos origine et natura in primis meriti suffragium. IS. CASAUBONUS enim, Ferendi non sunt, inquit [6]), qui

---

[4]) *Ueber die Römischen Satiriker* In den *Nachträgen* zu Sulzer's allg. Theorie d. sch. K. Tom. IV. Fasc. II. p. 481.

[5]) Sic in novissimo eiusmodi libro Ill. EICHHORNII (*Litterärgeschichte.* I. Hälfte Göttingen, 1799 p. 122) eo loco, ubi de Epistolarum Horatianarum natura aliquid exspectes, amandaris ad ea, quae de Satyra dicta essent §. 55.

[6]) *De satyrica Graecorum Poësi et Romanorum Satira*, ed. Rambach. p. 229.

qui Epistolarum libros Satirarum appellatione ac numero censent excludendos. — Mirabitur profecto huius dicti insolentiam, quisquis recentiori tantum vocabuli *Satira* significationi inhaeret, nihilque plane eius, quod hodie *satiricum* appellari consuevit, in nonnullis Horatii Epistolis videt, v. c. in brevi illa Epistola commendaticia ad Claudium Neronem scripta [7]. Non mirabitur, neque, unde illud fluxerit, ignorabit is, qui, quam vaga ante doctam Horatii sollertiam primis inter Romanos huius generis auctoribus fuerit *Satirae* notio [8], probe meminerit. Atque idem arbiter, si ad eam duntaxat, qua LUCILIUS Satirae vocabulum usurpasset, vim, respiciendum esset, iudicium istud ne improbaret quidem; praesertim si recordaretur, Satirarum nomen et Sermonum promiscue usurpari, Sermonum autem

7) Epist. I. 9.

8) Vid. CASAUBONI opus laudatum libro secundo, qui est de Satira Romana. FLOEGEL'S *Geschichte der kom. Litt.* Tom. II. SCHREITER *de Horatio Platonis aemulo* &c. (Lips. 1789) p. 15. EICHSTAEDT *de Dramate Graecorum comico-satyrico* p. 58—66. KOENIG *de Satira Romana* (Oldenburg. 1796) p. 12. seqq. BLANKENBURG. ad *Sulzerum* (Ed. 2. 1794) Tom. IV. p. 138. 142. seqq. coll. MANSONE l. c. p. 410. seqq.

autem titulo, vel ex nostrae aetatis notionibus, utrumque scriptorum σωμάτιον non inepte comprehendi *).

III.

Etiamsi vero ita fieri posse concesseris: non supervacanea tamen erit disquisitio, annon amborum corporum sub communi illo nomine comprehensorum quodque propria quaedam habeat, quibus inter se queant debeantque distingui. Ac Casaubonus quidem ipse ad hanc disputationem ducat observando, quod, ut ait, tot immanium in Horatium commentationum scriptores fugisset, Flacci Satiras (cuius nominis ambitu

*) Quaeritur, an Horatius ipse Sermonum nomine Satiras Epistolasque sit complexus. Sermonum ἐπιγραφὴν omnino Epistolis etiam ab auctore esse tributam, ut probet, affert Casaubonus principium Epistolae quartae lib. I.: *Albi, nostrorum Sermonum candide iudex.* Nobis quidem ex hoc loco nihil cogi posse videtur. Scilicet τὸ *Sermonum* ad Satiras tantum putamus referendum. Nam primum, quum ista inter Epistolas reperiatur Epistola, harum igitur illo tempore necdum fuerit sylloge absoluta neque curata editio: verisimile non est, Tibulli, humanissimi hominis, modestiam epistolarum ad alios amicos ab amico missarum iudicium sibi sumsisse; praesertim si Wilandi sequaris coniecturam, istam ad Albium Epistolam prius, quam plerasque, fuisse scriptam. (Conf.

ius et Sermones et Epistolas concludit) duorum generum esse inter se diversorum. Nam alias esse ἐλεγκτικάς, et ad notandos, ridendos, interdum et acrius increpandos vitiosos compositas: alias ad praecipiendum de virtute et eius amorem insinuandum, διδακτικάς, non autem ἐλεγκτικάς. Libros duos, quos vulgo hodie *Sa-*

tirarum,

(Conf. divini senis Prolegg. ad Ep. laud. p. 89.) Accedit, quod Epistolae genus, quatenus literis vulgari modo exaratis cognatum est, tantae facilitatis vultum prae se ferre solet, ut superbissimae auris scriptorem *iudicis*, quae magni quid sonat, vocem ad illud retulisse, idque in leviori epistolio, vix tibi persuaseris. Mitto, vocabulum *Sermones*, simpliciter positum ad Satiras, quibus ex alterius operis inscriptione proprie convenit, aptius quam ad Epistolas referri. At alter est locus, Epistolarum II. 1, 250. *(Nec sermones ego mallem Repentes per humum, quam res componere gestas)*, quo Casaubonus maiori quodam iure ad id, quod vellet, confirmandum uti potuisset. Hic enim Sermonum appellatione Epistolas quoque contineri dixeris: et, quia, quum componeret literas illas Flaccus, primus Epistolarum liber iam editus fuit, et quia illo tempore (ex Bentleii quidem ratione) Satiras non scribebat amplius, scribebat Epistolas; quam quidem ingenii exercitationem alia quadam illustriore, quum, quantum cuperet, non posset quoque, permutare iam recusat. At comprehenderit licet *Sermonum* nomine utrumque genus Horatius ipse: quum nominis illius vis tam late pateat, ut plura, quibus Satirae atque Epistolae congruunt, amplectatur salvis iis, quibus distant; iam inde non sequitur, Poëtam Satirarum Epistolarumque genera plane pro iisdem habuisse.

tirarum, Veteres Sermonum titulo semper inscripsissent, prioris generis esse; *Epistolas* ad posteriorem speciem pertinere [10]). Hoc autem discrimen, etsi minime spernendum, non sufficere ad utrumque genus notandum ac discernendum, vel ex illo, quod supra laudatum est, ad Claudium Neronem epistolio patet. Nam quid quaeso didactici illis inest literis?

Operae igitur pretium videtur denuo inquirere, quibus potissimum notis utrumque genus dignoscatur. His quidem chartis perituris commisisse non poenitebit quaestionis, dignae sane, quae accuratius tractetur, non explicationem quidem, sed adumbrationem tamen, abiiciendam, simul ac peritior firmiorque manus tabulam diligenter docteque expictam pro umbra leviter ac titubanter delineata exhibuerit.

IV.

Qua HORATIUS urbane ridet vafreque vitium titillat, qua PERSIUS graviter stomachatur acriterque stultitiam pungit, qua impotenter IUVENALIS ardet scelusque attonando concutit, *Satiram*, eamque, quam unicum

10) Casaubon. l. c. p. 227. 228.

cum Socratici nostri ingenium ita expolivit, ut omnibus post se idem opus aggressis artificii sui naturae speciem praebentis [11]) desiderium reliquerit, *Epistolam poëticam*, ambas Recentiorum quoque (non multorum quidem) praeclaris studiis revocatam, tametsi plura habeant communia, generis tamen plane eiusdem non esse, sensu intelligunt fere omnes; ratione dignoscunt perpauci. Utraque igitur ad *didacticae* poëseos refertur genus, et Satira quidem omnis ad *ethicam* speciem eius; Epistola autem, si moralis est argumenti, ad eandem et ipsa, ceterum a *carmine didactico*, quod simpliciter dicitur sensu sumtum angustiori, eo differens momento, quod ad singulas scripta est personas, ea lege, ut singularis harum per totum carmen habeatur ratio. Iam carminis didactici eiusdemque ethici est, ad sapientiam vocare, *aut* commendanda virtute, *aut* vitiis castigandis. Castigandorum autem vitiorum, vel

 gravi-

---

[11]) Illud volo, quod requirit unus ex paucis illis, qui naturae cognatione ad intimam Camoenae Horatianae familiaritatem tracti, primi persensisse omnes eius veneres videntur, SHAFTESBURIUS *Miscellan. I.* Ch 3. (Vid. *Characteristicks* Vol. III. ed. Lond. 1732. p. 21.): „The *Art* was ... to give an *extemporary* Air to what was writ, and make the *Effect* of Art be felt, without discovering the *Artifice*."

graviorum, vel leviorum, Satira sibi vindicat munus, aut turpitudinem potissimum, qua illa squalent, malaque, quibus premuntur, depingens, aut stultitiam maxime, qua laborant, exponens. Atque inde duplicem in primis existere constat Satirae speciem, tum austeriorem illam, quam Iuvenalis praecipue illustravit, tum illam, quae risu seria diluit, Horatianam. Satirae igitur *materia* quum definita sit et certa (versatur enim illa nonnisi in quibusvis vitiis humanis aut odio aut risui tradendis); *forma* per generis naturam certa non est: possunt enim tot cogitari Satirae formae, quot sunt vividae repraesentationis modi. Epistolae poëticae vero ratio plane est contraria. *Argumenti* enim varietas tanta est, quanta vulgarium epistolarum, neque igitur ullo modo potest certis circumscribi limitibus. Sola itaque *forma* tenetur atque ab aliis poëseos generibus distinguitur Epistola. Scilicet certae personae (uni, pluribus, nil interest; modo sit certae) debet esse inscripta, eiusque rationem per universum carmen haberi necesse est; etiamsi ea persona in rerum natura non sit, sit modo in Poëtae mente: ut Horatius Epistolarum primum fasciculum concludit Epistola ad eum, qui nullus est; quid quaeris? *ad librum suum.* Illa autem, quam ultimo loco posuimus, nota maxime est necessaria, quandoquidem, ea omissa, quae-

cunque

cunque Satira, cuiquam dicata et missa, statim Epistola foret; quod negamus. Iam ex communi omnium epistolarum natura intelligitur, orationem conformari primum ad eius, qui scribit, deinde ad eius, cui scribitur, conditionem; tum ad peculiarem, quae inter utrumque intercedit, rationem; ad argumentum denique, quod tractatur. Quae quidem quadruplex stili accommodatio quum abesse non possit a quavis epistola bene composita, pro certissima eius nota vere habebitur. Nam quum Epistola quoque interdum vitia stultorum notet eaque de caussa ad satiricum dicendi genus proxime accedat: argumento ac dicendi genere quidem a Satira minus acerba distingui nonnunquam vix potest. Proprium vero vel tum ei relinquitur illud, ut eius, ad quem mittenda est Epistola, per totum carmen singularis habeatur ratio, quum Satirae contra aut neminis nomen inscriptum reperiatur, aut nonnisi dedicationis caussa insit personae cuiusdam appellatio, cuius ceteroqui nulla peculiaris in argumenti tractatione ratio sit habita.

V.

Constituto, quantum quidem fieri posse videatur, Satirae atque Epistolae poëticae discrimine, quae in

universum disputavimus, ad ea, quorum caussa disputata sunt, utriusque classis poëmata Horatiana age adhibeamus. Quorum quidem differentia eo difficilius definitur, quod Flaccus in epistolis passim ex vitae suae ad Philosophiae modos temperatae descriptione opportunitatem petit notandae, satirica prope dictione, aliorum in vivendi ratione stultitiae, idemque in Satiris rursus non morosi Philosophi austeritatem, neque rebus, neque verbis, affectat, sed, per omnia facetus atque urbanus, eum plane se praebens, qui describitur a Persio:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia ludit [12]) —

leviori

---

[12]) Nobilem generosi iuvenis uno libello multum gloriae adepti locum (Sat. I. 116.) ante oculos habuit, opinor, BROWNIUS in didactico de Satira Carmine Nostrum ita inducens:

Then sportive HORACE caught the gen'rous fire;
For *Satire's* bow resign'd the sounding lyre:
Each arrow polish'd in his hand was seen,
And, as it grew more polish'd, grew more keen.
His art, conceal'd in study'd negligence,
Politely sly, cajol'd the foes of sense:
He seem'd to sport and trifle with the dart:
But while he sported, drove it to the heart.

leviori illo sermonis genere utitur, quod et confabulationi vulgari et epistolae familiari atque interdum iocosae conveniat. Sed quantumvis passim congruere videantur Satirae atque Epistolae Horatianae: una certe, in pluribus etiam altera, qua agnosci possint, discriminis nota poterit indicari.

VI.

Sit Satirarum Sermonumve nomen sensu parum finito, quali primis Satirae Romanae conditoribus usurparetur, ab ipso etiam Horatio initio certe adhibitum: nihil enim moror. Evenit tamen, sive casu, sive, quod malim, consilio, ut Satirae, quae vulgo vocantur, Horatianae pleraeque omnes plus quam Epistolae, satirico, quod hodie dicimus, dotarentur argumento. Non temere igitur primum ponemus discriminis momentum in diversa utriusque generis *materia*, quum Satirarum Horatianarum argumentum primarium versetur in stultorum vitiis coarguendis ridendisque, quorum commemoratio ab eius Epistolis non abest quidem, non vero primas obtinet partes. Itaque, quod primo loco ponitur, differentiae caput, cum iis fere consentit, quae supra ex Casauboni libro sunt allata;

atque

atque eodem DACIERII [13]) quoque ſententia redit. In Satiris Horatius maxime occupatus eſt carpendo, redarguendo, ridendo, increpando; in Epiſtolis docendo potiſſimum ac praecipiendo, monendo atque exhortando. Quid multa? In altero opuſculo diruit, aedificat

[13]) Huius ipſum locum, etſi a Rambachio l. c. p. 228. repetitum, lubet adſcribere ob ſententiam de cauſſa ordinis, quo Sermones et Epiſtolae Horatii ſe exceperint, haud vulgarem: „*Horace a mis d'abord ſes deux premiers livres de Satires, parceque dans le premier il travaille à déraciner* l e s v i c e s, *et que dans le ſecond il s'efforce d'arracher* l e s e r r e u r s *et* l e s f a u ſ ſ e s o p i n i o n s. *Après ces deux livres viennent les Epitres, qui peuvent fort bien etre appellées la ſuite de ſes Satires; et il les a miſes après les Satires, parcequ'il s'attache à y donner des preceptes pour la vertu, et à allumer dans nos coeurs l'amour qu'elle merite. Ainſi ces quatre livres ſont un cours de Morale entier et parfait. Les deux premiers ſont proprement* ἐλεγκτικοὶ, *pour parler comme les Platoniciens, c'eſt à dire, deſtinez à redarguër et à refuter. Et les deux derniers ſont* Διδακτικοὶ *et* Παραινετικοὶ, *c'eſt à dire, deſtinez à inſinuer et à enſeigner. Dans cette diviſion Horace ſuivoit les maximes de Socrate, qui n'enſeignoit jamais rien, qu'il n'eut auparavant deraciné du coeur de ſes diſciples tout ce qui pouvoit être contraire aux ſentimens, qu'il leur*

est in altero. Alter morborum remedia aegro tibi praebet liber; sano aurea Diaetetices, quibus animi valetudinem per omnem vitae cursum optime tueri possis, praecepta alter. — At sunt nonnulli inter Horatii Sermones salis satirici prorsus expertes. — Prorsus expertes ne dixeris; parum eiusmodi salis inesse libri primi Satirae quintae (Itineri Brundusino) et sextae secundi

---

leur vouloit inspirer; et cette methode est très conforme à la nature et à la raison". Gallici hominis acumen Poëtae nostro supponit quidem institutionis philosophicae systematico quodam ordine ad finem perductae consilium, cuius ipsum sibi conscium fuisse haud ego crediderim. Veri tamen quiddam subest aliunde explicandum. (Conf. quae diximus §. VII.) Inest praeterea Dacierii verbis observatio de universi libri Satirarum primi et secundi diversis argumentis, elegans illa quidem ipsaque observatu digna; licet contra dicere possis, eam in plerasque, non in omnes libri primi et secundi Eclogas quadrare, quum v. c. libri prioris Satirae sextae et decimae argumenta ad falsas opiniones dispellendas potius, quam ad vitia evellenda spectent, quinta autem libri posterioris et septima ad vitia potius, quam ad errores pertineant. Quid? quod arma ad oppugnandam atque adeo ad evertendam omnem stultitiae et *κακίας* differentiam petere possis ex subtili disputatione PLATNERI, quae legitur in Nova Anthropologia Tom. I. §. 887, p. 396—398.

secundi (*Hoc erat in votis &c.*), concedimus. Nempe servavit in his vagum antiquae Satirae characterem, in altera, ut Scholia diserte testantur, Lucilium, qui Iter et ipse scripsisset, aemulatus. Non tamen absque vero dixit, puto, Casaubonus [14]), in Horatii Sermonibus nullam temere Eclogam inveniri satirico aceto ab omni parte carentem. Nam in ipso v. c. Itinere Brundusino tum *comica* multa insunt [15]); tum, si his non acquiescis, *satirica* potius, et optimo quidem iure, postulans: en (vs. 34—36) insani scribae praetextam et latum clavum; en vs. 37 Mamurrarum urbem; nec mitte mihi, qui finem sermoni imponit, (vs. 97—103) superstitiosorum derisum vere satiricum.

VII.

---

[14]) l. c. p. 227.

[15]) Ut inediae iocosa descriptio vs. 7. 8; paullo post noctis adventus, heroico plane versu, quo maiori discrepantia puerorum et nautarum iurgium feriret lectoris animum, celebratus; vs. 15 — 23 nautae atque viatoris ineptiae, eaque quae eas scilicet secuta sunt; vs. 51 — 70 Messi Sarmentique, certantium, repraesentatio ridiculi satis plena; vs. 71 — 76 veteris culinae ob macros turdos incendium; vs. 87 — 90 Equum Tuticum, oppidulum, lepide significatum.

ADUMBRATIO QUAESTIONIS
DE
SATIRAE ATQUE EPISTOLAE HORATIANAE DISCRIMINE.

PARS II.

QUAM DISPUTATIONEM
PRAESIDE
CAROLO MORGENSTERN
PHILOSOPHIAE DOCTORE, ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO,
SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SOCIO HONORARIO

D. XIX. OCTOBR. MDCCCI.

IN AUDITORIO MAXIMO ATHENAEI GEDANENSIS
HORA X.

PUBLICE DEFENDET
E. G. A. BOECKEL, GEDANENSIS, TH. C.
STIPENDII FISCHERO-FERBERIANI ALUMNUS,

ADVERSARIOS HABITURUS
C. S. G. THIEL, GEDAN., TH. C.
G. W. COSACK, GEDAN., TH. C.

GEDANI,
FORMIS DAN. LUDOV. WEDEL,
SENATUS ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.

VII.

Ex ea, quam indicavimus, differentia, quae circa materiam verſatur, ſponte ſequitur alia, quae cernitur *dicendi genere*, diverſo quodam *orationis colore*, quatenus is maxime ducitur a materiae differitate. In Satiris igitur apparet riſor facetus, in Epiſtolis comis morum magiſter; in illis Comici et Satirici, in his Philoſophi elucet ingenium magis. Illa ſtatim, quae primo loco poſita eſt, ad Maecenatem Epiſtola, hominis ſerii, meditabundi, compoſiti animum ſpirans, quale ſit diverſum illud, quod volumus, coloris temperamentum, ſatis ſuperque arguet comparata vel cum ſecunda libri primi Satira (nam de prima infra dicendi locus erit) vel, ſi placet, cum tertia. Ubinam quaeſo in illa iſte dicacitate iocoſus, iſte ſub cenſoris perſona ridiculus? ubi laſcivior iſte, ſolutior, liberius interdum exſultans? Nimirum vel illud, (ut alia nunc mittam,) quod in Satiris saepiſſime ſingulos, nec raro vivos, media arreptos turba, perſtringit Lucilii exemplo, antiquae Comoediae auctores ſecuti, illud igitur non potuit non afficere dicendi genus, neque non reddere acrius, mordacius, comicum atque adeo ſatiricum magis. In Epiſtolis contra locum eſſe nego, quo vivos ſingulos nominatim et aperte

perſtringi certum ſit. Rariſſime enim omnino ſinguli in Epiſtolis notantur. Vivorum autem ſingulorum notatio aperta omnis relinquitur Satiris. Qua obſervatione, quod dictum eſt de Satirae Horatianae materia, augeri ac definiri etiam poteſt. Nec temere id eveniſſe puto, ſed ex ſcriptoris inſtituto, in alio genere aliud ſpectantis. Non facile igitur in Epiſtolis acrimonia, amaritudo, fel. Sal quidem paſſim admiſcetur et acetum: ſed neque illud nigrum, neque hoc acidiſſimum.

Cauſſas diſcriminis ſi quaeris: ex aetatis potiſſimum, qua utrumque σωμάτιον perficeretur [16]), diverſitate atque ex mutatis Poëtae ſtudiis vivendique rationibus ſunt repetendae, ipſo plane duce [17]).

Non

16) Conf. annot. 2. Licet enim in ſingulis eclogis dubitationes quaedam reſtent, in re ſumma certum ſtare arbitror Bentleianum temporum ordinem, isque dum refellatur exſpecto.

17) Ep. I. 1, 4. Iis, quae de Veianio v. 4 — 6 et de equo ſeneſcente v. 8, 9 adiicit, alterum, de *aetate* quod ſignificarat, explicat Horatius ipſe viribus deficientibus; alterum, quod poſuit: *non* (eadem eſt) *mens*, illuſtrat v. 10 ſeq. Rectius igitur vertit Wilandus, quam Sanadonus, cuius ſententiam praefert Haberfeldus.

Non eadem est aetas, non mens.

Nempe alia iuvenem, alia virum decebant, praesertim humanissimum virum, quem [18])

Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.

Neque enim cessaverat Noster: immo strenue progressum laetamur. Quum Satiras scriberet, liberius si quid diceret, si forte iocosius, in eo patris adhuc auctoritatem sequebatur, ut fugeret *exemplis vitiorum quaeque notando:* sanus tum quidem ab illis, quaecunque perniciem afferunt; at mediocribus et, quibus ignoscas, vitiis nondum liber. Epistolas vero quum dictaret, iam percipiebat fructus adhortationis paternae satis diu usurpatae. Iam venerat, puto, quum sibi ipse non defuisset, tempus illud, quod animus virtutis sitiens praesagiverat ipsi:

— — — — — — — — — Fortassis et istinc
Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
Consilium proprium.

Positis igitur omnibus ludicris, ut ipse profitetur, quid verum sit ac decens, curat et rogat, et omnis in hoc est; iam ei

18) Ep. I. 14, 36.

— — — tarda fluunt ingrataque tempora, quae
spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter, id quod
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque:
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.

Iam Lollio, adolescenti, potest, quae sibi ante praecepisset, saluberrima suadere:

Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum;
Ne te semper inops agitet vexetque cupido,
Ne pavor et rerum mediocriter utilium spes:
Virtutem doctrina paret, naturane donet:
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum:
Quid pure tranquillet; honos, an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis semita vitae.

Iamque emendat amicos, eos quaerere ex se docens, quale poterat, sui conscius et certus, se ipse interrogare:

Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta? [19])

Re-

[19]) Conf. Serm. I. 4, 103 seq., 129 seq. Ep. I. 1, 10 seq. 20 seq. I. 18, 96 seq. II, 2, 210 seq.

Regnat igitur ubique in Epiſtolis morum gravitas, illa quidem per auctam [20]) indolis lenitatem et per terſiſſimam illam urbanitatem temperata; regnat iudicii maturitas, ſive ad hominum vitam formandam, ſive ad artes perficiendas adhibita; animi porro candor ingenui, liberi [21]), erecti, ad verum atque honeſtum unice intenti, ſorte ſua laeti, ſibique tandem viventis, ſed ita, ut tum demum ſibi vivere videatur, ſi amicos amice monendo ſincerae ſimplicisque feli-

---

[20]) Natura enim finxerat *iraſci celerem*, tamen ut placabilis eſſet. Ep. I, 20, 25.

[21]) Quanta animi linguaeque libertate uſus fuerit Flaccus in vitiis amicorum tangendis, poſt ea, quae de hac etiam virtute paſſim monuit Wilandus, bene expoſuit Manſo l. c. p. 488 — 492. Adeo enim noluit Noſter eſſe haberique urbanus, ut exueret illam, quae ei natura ineſſet, animi ſimplicitatem et ingenuitatem, atque ut contaminaret illum ſingularem, quo niteret, candorem. Nimirum quam ab amicis exigeret libertatem (Conf. Serm. I, 4, 131. Ep. I, 10, 44. I, 18. 1, ſeq.): eam cumulatam praeſtabat ipſe. Tamen ne unum quidem locum eſſe puto, ubi argui poſſit migratarum verae morum elegantiae ac modeſtiae legum. Iam ſermonem non eſſe intelligitis de fucata illa et morum et orationis, quae apud recen-

felicitatis suae faciat participes[22]). Itaque in Satiris saepius rem habet cum aliis, immo cum alienis; in Epistolis magis se ipso occupatus est et suis: in se saepis-

recentiores invaluit, sive comitate, sive, quam male nonnulli vocant, civilitate, aut qua tandem voce significare velis, quod exprimere (deest enim antiquis cum re vocabulum, quod respondeat nostro *Höflichkeit*) plane non possis. Num nitidiusculae illae orationis blanditiae, ad fallendum ita, ut neminem fallant, compositae, ab Horatio quidem non longius absunt, quam a Platone, a Xenophonte, ab antiquorum scriptorum optimo quoque. Neque vero illud in quaestione, quam Manso ad meum prope sensum, ita tamen, ut fortius etiam antiquum scriptorem vindicatum vellem, absolvit, praetereundum videtur: esse in hominum natura laudabile illud, quod tum temporis valuit semperque valebit, ut homini spectata probitate atque elegantia eximio ab omnibus sanis concedatur, quod ceteris ausum male exceptum fuisset.

22) Qualia si reputasset ante hos quinquaginta fere annos vulgus literarium, LESSINGII acumini a gravioribus etiam criminibus non defendendus fuisset Horatius. Sed ne doctissimi quidem illi, qui post renatas in Italia literas, tum in illa Venusini patria, tum in Gallia aliisque terris, eo lectitando atque imitando

saepissime descendere tentat, secum (audientibus quidem amicis) loquitur. Atque inde redundat fusus quidam

do non poterant satiari, etiamsi poëtam edidicissent singulosque eius versus ut digitos suos nossent, omnem hominis indolem, qualis ex Sermonibus atque Epistolis, his omnium maxime, clarius quam ex Carminibus elucet, plane perspexisse, certe nunquam declarasse videntur. Saeculi modo praeterlapsi initio id fuisse relictum credo, quo in Britannia is, quem supra laudavi, vir omnibus, qui honestum colunt, colendus, SHAFTESBURIUS exortus est, qui quam alte penetrasset in animi atque ingenii Horatiani recessus, passim significaret; quantum vidisset in occultiore eius venustate, suis ipse operibus ad antiquae praestantiae exemplar properantibus exprimeret. Postea vero plures Britanni, qua pollet flos illius populi iudicii sinceritate in iis, quae ad animum et mores summorum antiquitatis scriptorum pertinent, vere aestimandis (nam licet poëticas Veterum virtutes Itali, Galli, alii, prius perviderint, morales tamen et politicas omnino nulla alia gente serius perspexerunt Britanniae cives) illi igitur quam plane sensu comprobaverint suo nobilissimi popularis de Horatio arbitrium, passim scriptis suis prodiderunt. Duos tantum eiusmodi adscribere placet ex libris non cuivis obviis locos, lectuдо, opinor, non iniucundos: alterum quidem ex WARTONO

(*Essay*

dam per serioris aetatis opus sedatioris animi tenor, aequabilior quaedam orationis constantia. In Epistolis igi-

---

(*Essay on the Writings and Genius of Pope*. Lond. 1756 p. 172): „*It seems to be another common mistake, that one of Horace's characteristics is the Sublime: of which indeed he has given a very few strokes, and those taken from Pindar, and, probably, from Alcaeus. His excellence lay in exquisite observations on human life, and in touching the foibles of mankind with delicacy and urbanity. 'Tis easy to perceive this moral turn in all his compositions: the writer of the epistles is discerned in the odes. Elegance, not sublimity, was his great characteristic. Horace is the most popular author of all antiquity; the reason is, because he abounds in images drawn from familiar life, and in remarks, that „come home to mens business and bosoms.“ Hence he is more frequently quoted and alluded to, than any poet of a higher cast.*“ Alterum locum potamus ex SPENCIO (*Polymetis*, Ed. *II*. Lond. 1755. *f. p.* 22): “*This latter part of his work, by whatever name you please to call them (whether satires and epistles, or discourses in verse on moral and familiar subjects,) is what I must own, I love much better even than the lyric part of his works. It is in these that he shews that talent for criticism, in which he so very much excelled: especially, in his*

igitur maxime reperimus, qualem, quum ad Horatium edendum accederet, quaesiverat BENTLEIUS, scri-

D ptorem

---

his long epistle to Augustus; and that other to the Piso's, commonly called his Art of poetry. They abound in strokes which shew his great knowledge of mankind, and in that pleasing way he had of teaching philosophy, of laughing away vice, and insinuating virtue into the minds of his readers. They may serve, as much as almost any writings can, to make men wiser and better: for he has the more agreable way of preaching that ever was. He was, in general, an honest, good man himself; at least, he does not seem to have had any one ill natured vice about him. Other poets we admire: but there is not any of the antient poets that I should wish to have been acquainted with, so much as Horace. One cannot be very conversant with his writings, without having a friendship for the man; and longing to have just such another as he was for one's friend." Omnium autem nemo, ut verum dicamus, nec aequitatis studio iniqui peccemus, tantum effecit, ut intima indolis Horatianae penetralia paterent nobis in artissimam cum candidissima anima familiaritatem insinuatis, quam hoc aevo is, qui temperanda Poetae politissimi urbanitate cum Socratici sapientis humanitate Horatianae naturae cognatus esset, WILANDUS noster. Sunt enim quaedam naturis primo adspectu diversissimis, ut Pla-

toni,

ptorem operae materiaeque, quae animum tranquillum et defaecatum non tam requireret quam efficeret. Epistolas potissimum intellexisse opinor optimum FRANCI-

toni, Horatio, Shaftesburio, Wilando, aliis, communia, qualia nisi quis, quadam saltem ex parte, in se reperiat nascendi felicitate, nae is frustra speret, se omnem Horatiani ingenii beatam ubertatem esse percepturum. Neque igitur illud in Sermonibus atque Epistolis satis placebit iis, quibus fervidos impetus spiritumque elatiorem natura dedit, subtilius vero usti iudicium negavit. Qui Iuvenalis generosum verius persentient furorem; quanquam non omnes, ne elegantiorum scilicet numero excludantur, quod sentiunt, tam aperte proment, ut DRYDENUS (*Discourse concerning the Original and Progress of Satyr*, p. LXXI, quae Dissertatio praemissa est Anglicae versioni Iuvenalis et Persii). Neque iis Noster, ut debebat, arridebit, quorum in mente natura non inest philosophia quaedam, quae inerat Romano sub coelo Attica indole nato vel sincerior, quam qualem in Isocrate adolescente Socrates Platonicus augurabatur (Plat. Phaedr. p. 389 Bip.; Cic. Or. 13), ac propius adeo ad affinitatem cum ipsius Platonis ingenio, et ad philosophiam et ad poesin aptissimo, adducens. Quae quidem naturalis, qua uterque teneretur, mentis cognatio, non

CISCUM PETRARCHAM, quum dictitaret, se ex nullo Poëta Latino evasisse meliorem, quam ex Horatio.

Nimi-

---

non fugit elegantiores quosdam ingeniorum arbitros, ut WILANDUM (ad Hor. Epp. T. II. p. 112) et SCHREITERUM. Quorum alter an prorsus vere posuerit in bella, quam laudavi, disputatione (p. 12) quae sequuntur, ipse videat: „Equidem, inquit, ut brevi formula, quid inter utrumque intersit, comprehendam, Platonem dixerim, *poëticae aptiorem*, ingenii sui ubertatem et copiam ad philosophiae spatia illuminanda et exornanda contulisse; Flaccum, *animo ad philosophiam nato*, severitatem et gravitatem eius musarum cultu et elegantiorum literarum studio temperasse ac distinxisse." Quod de Platone poëticae magis quam philosophiae idoneo significat vir elegans, in eo sequitur vulgarem de Platone opinionem, inde ad aevo Criticorum Graecorum, Dionysii Halicarnassensis, Longini, aliorum, de quibus valeret, quod de Zenobiae amico dixit aequalis, Plotinus: *φιλόλογος μὲν, φιλόσοφος δὲ, οὐδαμῶς*, ad nostra tempora propagatam. Quae ut tandem aliquando evanescat post solertium virorum labores, quibus immortalia Platonis de philosophia merita, a summis Philosophis et olim et nuper candide comprobata, ita vindicarunt, ut futuris etiam interpretibus nonnihil loci reliquisse videantur demonstrandi,

qua-

Nimirum apud hunc est, aut nusquam, *ubi*, ut ille ait, *boni meliores fiant.*

VIII.

Quum Horatius, in Sermonibus vitiorum insectator lepidus et iocosus, dicteriis ludens atque acuminibus, uteretur demissiore dicendi genere ac liberius vagante; idem in *numeris* Satirarum solutior fuit adeo, ut metri negligentia ei a viris eruditissimis exprobraretur [23]). Qui in eo tamen parum accurati reperiuntur,

---

quatenus ad ipsos humanitatis fines in liberaliter philosophando progressus sit vir ille prorsus singularis: vehementer optamus humani generis caussa, cui expediat nosse ex antiquitate hominis exemplum, in quo liberalissime cumulaverit, miroque artificio quasi confuderit Natura, quae ne disiuncta quidem facile solet donare. Adde, si placet, quae scripsi ad Platonis Vitam (*Entwurf von Platon's Leben* &c. Lips. 1797) p. 12, 190.

23) Ut a CASAUBONO *Prolegg. in Pers.* p. 32, et a IUL. CAES. SCALIGERO *Poetic.* III. 97 p. 344 et VI. 7 p. 799 (Ed. IV. 1607. 8.) Aequior DAN. HEINSIUS (*lib. de Satyra* p. 7. ed. Elzev.).

tur, quod nihil plane distinguerent inter numeros Satirarum atque Epistolarum. Nam invenissent in his metri legem nonnihil adstrictiorem, praecipue in maioribus, ut in Epistolis ad Augustum et ad Pisones, ubi severiorem numerorum necessitatem requirere videretur argumenti amplitudo studiosius ita pertractati, ut ad carminis didactici, quod sensu dicitur angustiore, formam, non quidem ita distinctis corporis poëtici membris et commissuris, sed tamen ambitu quodam praeceptorum atque observationum apte compositarum, eclogae illae aliquanto propius, quam ceterae, accederent. In minoribus autem Epistolis, quo magis exigui erant voluminis, quae singulis singula quasi munuscula mitterentur, eo diligentius eum etiam a metrica parte, ne quid inesset, quod non praesectum ad unguem castigatum videretur, cavisse putes [24]. Iure igitur etiam ex numerorum ratione discrimen quoddam inter Satiras et

Episto-

---

24) Etiam BENTLEIUM numeros Epistolarum Satiris praetulisse, suspicor ex Praefatione extrema dicentis: *In ceteris singulis* (mentionem fecerat Satirarum et Epodorum) *procedentis aetatis gradus planissimis signis indicare; idque tibi ex hac serie iam a me demonstrata iucundum erit animadvertere; cum operibus iuvenilibus*

multa

Epistolas statuemus: quod quale sit, Horatii Interpreti rei metricae in paucis perito accuratius exponendum relinquo. Mihi quidem hoc loco satis erat, rem ipsam observasse, additurо nonnulla, quibus explicetur, unde haec disparilitas atque omne hoc scribendi genus natum videatur.

Nam quum solutior numerorum in Satiris Horatianis ratio negari nequeat, quos si quis vel cum Persianis hexametris comparet, sentiat et gravitate et concinnitate minores: sane mirum habeatur, Poëtam, quo lyrico nemo maior numerorum inter Romanos artifex censeatur, hoc quidem metri genere se ipso videri tanto inferiorem. Quid vero? an differentia solum ex iuvenili, qua Satiras lusit, aetate, erit derivanda? Hoc quo minus credamus, impediunt maxime, quae in ipsis Sermonibus occurrunt significationes, unde satis perspiciatur, cuius in opusculo vel minimo

multa obscaena et flagitiosa insint; quanto annis provectior erat, tanto eum et poëtica virtute et argumentorum dignitate gravitateque meliorem castioremque semper evasisse. Nec dubito, quin Satiras potissimum intelligi voluerit sagacissimus HERMANNUS *de Metris Poëtt. Gr. et Rom.* p. 274, quum Horatii hexametros simpliciter diceret pessimos.

minimo artificii latentis exstant vestigia, eumdem, quum Satiras scriberet, numeris solertius tractandis operam haud levem dedisse 25); neque igitur, si hac in re sui

25) Alioqui enim nullo modo potuisset toties tam graviter reprehendere versus antiquiorum Poëtarum, in primis Lucilii, qui Serm. I. 4, 8. dicitur *durus componere versus* &c. *garrulus atque piger scribendi ferre laborem: Scribendi recte* &c. Nec, nisi limae labore segregari studuisset a seniorum poëtarum turba, quaerendum putasset Serm. I. 10, v. 56 seq., num illius, num dura rerum natura negarit versiculos magis factos molliusque euntes. Neque censendus est ipse neglexisse, quod de eodem Lucilio autumat v. 68 seq.

Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
Detereret sibi multa: recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur: et *in versu faciendo*
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint,
Scripturus;

Nam quis, quaeso, his versiculis non agnoscit ipsius Poëtae artificium laboriosum? eiusdem, qui de eo, qui legitimum poëma fecisse cupiat, illud prodidit Mercurialium virorum arcanum (Epp. II. 2, 124): *Ludentis speciem dabit et torquebitur* —: exemplo suo plane confirmans illud, antiquos poli-

sui dissimilis reperiatur, tam ingenii aut artis vitio, quam arbitrii et consilii sui lege defecisse. Quae sententia confirmatur illis, quos Carminibus atque Epodis immiscuit hexametris, longe modulatioribus, multoque maius sonantibus [26]). Quid est igitur, cur versus dederit minus canoros et prima quidem fronte minus politos, quam potuisse videatur? Primariam quidem caussam, et haud scio an unam ex omnibus, recte dicemus illam, quam animo sibi informaverat, omnis huius generis poëtici speciem, ad quam id tractari deceret. Quum enim is, quem ipse quidem illius generis, in quo reperisse sibi videbatur, quod melius scribere aliis posset, inventorem agnoscit [27]),

LUCI-

politioris aevi scriptores longe aliam, quam recentiores, rationem secutos, vel in iis, quae ita limassent et rotundassent, ut sponte nata ingenii felicitate, nec aliter esse potuisse viderentur, opportune cavisse, ne acutioribus nusquam apparerent labores.

26) Carm. I. 7. 28. IV. 7. Epod. 12. 13. 14. 15. 16.

27) Serm. I. 10, 48. II. 1, 63.

Lucilius **), omnis penderet a priscae Comoediae

E auctori-

**) Duo in primis loci ex iis, ubi Lucilii mentionem fecerunt antiqui, amissi scriptoris desiderium apud me commoverunt, non illi, quos vulgo maxime respicere solent. Uterque occurrit in Horatii prima secundi libri Satira. Alter est v. 30 seq.

Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris; neque, si male cesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis.

Quis non in istis certe, quas innuit Noster, Lucilianorum librorum partibus audire cuperet ex prisca Roma hominem ingenuum, festive garrulum, qualis e Francogallis Michaël Montanus (Montaigne) nos hodie adhuc oblectat? Illius autem exemplum iis etiam Sermonum locis, ubi patrem, se vitamque suam Flaccus, tanto quidem in summa humanitate urbanior, describit, secutus esse videatur.

Alter est v. 70 seq., ubi Lucilius, memorata notandorum hominum licentia, ita laudatur: *Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.* Quorum verborum memores esse oportuit, qui Horatium infensi in Lucilium animi incusarent. Nonne enim, quantum Poëtae arti detrahit alibi, tantum hic animo hominis tribuit? Addit autem deinceps:

Quin

metoribus [29]), hos, mutatis tantum pedibus numerisque secutus: iam ingeniosus noster Lucilianorum lusuum emendator et perfector scribendum sibi quoque censuit *sermoni propiora* [30]), ut ait ipse. Oratione igitur, quae, ut in Comoedia, nonnisi pede certo differre videretur quotidiano sermone, antiquae Comoediae dicacitatem derisu dilutam [31]) exprimere studuit: novae vero

Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli;
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti.

Quis, si hunc locum cum superiore coniungat, non existimet, Scipionis et Laelii in Lucilii Satiris haud minus frequentem fuisse mentionem, quam Maecenatis in Horatii? Ego vero *nullos his mallem ludos spectasse.* Nam etiam in rudioris pictoris ipsam naturam imitati tabula agnovissemus animarum simulacra vere magnarum.

29) Serm. I. 4, 1 seq; conf. 45 seq.

30) Ib. 42.

31) Serm. I, 10, 14 seq

- - - - - - - - - - - - Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res:
Illi, scripta quibus Comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi;

vero auctores, in primis MENANDRUM [32]), fortasse etiam Mimographos Graecorum, in morum artificio tractando aemulari, atque *Socraticas chartas*, PLATONIS [33]) maxime, in felicissima illa ironia, quae apud nullum alium scriptorem tam pure enitens revixit [34]), referenda suoque ingenio vindicanda atque attemperanda imitari: sic ratus, si propriâ observandi solertiâ paratam attulisset veri ridendo dicendi uberrimam materiam, se scriptionis genus absoluturum urbaniorum hominum, (nam his solis et placere voluit et unus omnium maxime placuit [35]) subtili palato unice accomodatum. Iam vero, ne versus heroicus, quem ad Lucilii exemplum retinuisset, argumento magna ex parte novo male responsaret: omni cura deprimendus erat, ne Satiricum canentem audires, sed loquentem; fingendus autem ita, ut, quantum fieri posset, illaborati speciem prae se ferrent, quae debebant sermocinatione fusa videri. Sectanda igitur erat et orationis et numerorum apta inaequalitas, quo magis, quod senorum pedum necessitate nimis adstri-

 ctum

32) Conf. Serm. II, 3, 11.
33) Serm. l. c. ibiq. Wiland. p. 111 et Schreiter. l. c. p. 13.
34) Vide, si vis, quae scripsi ad Platonis Vitam p. 213, 214.
35) Serm. I, 10, 73 — 91. Ep. I, 20, 23.

etiam videretur prae deserta illa versuum comicorum dissoluta varietate, quodammodo relaxaretur. Ne asperitatis quidem nota fugienda, ubi ea ipsis cavillulis exasperandis quodammodo inserviret, ut in illis unius syllabae clausulis versui heroico non usitatis 36).
Quid

36) Ita in eo ipso, quod eruditi homines reprehenderunt, reperias laudandi materiam. Nonne potuit tales clausulas facile vitare Horatius? Noluit:

Serm. I, 2, 120. Illam, Post paulo, Sed pluris, Si exierit *vir.*
I. 2, 116. Pavonem rhombumque? tument tibi cum inguina, num *si*
II. 8, 71. Adde hos praeterea casus: aulaea ruant *si*
II. 8, 58. Sensimus, erigimur. Rufus posito capite, ut *si*
Filius immaturus obisset, flere.
I. 3, 12. Saepe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens; modo, Sit mihi mensa tripes, *et*
I. 3, 121. Verbera, non vereor: cum dicas, esse pares *res*
II. 2, 106. Uni nimirum tibi recte semper erunt *res*
I. 3, 80. Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus
Semesos pisces tepidumque ligurrierit *ius*,
In cruce suffigat —
I. 3, 125. Et sutor bonus, et solus formosus, et est *rex*:
II. 3, 97. Clarus erit, fortis, iustus, Sapiensne? Etiam et *rex*.

Ep.

Quid vero lepida illa colorum ſonorumque varietas, qua Sermones ſuos commendari vellet? in quibus ſolerti

Ep. I, 6, 39. Mancipiis locuples, eget aeris Cappadocum *rex*
I, 17, 20. Splendidius multo eſt. Equus ut me portet, alat *rex*.
Serm. I, 4, 14. Criſpinus minimo me provocat: Accipe, ſi *vis*
I, 4, 95. Te coram fuerit; defendas, ut tuus eſt *mos*
I, 6, 27. Nam ut quisque inſanus nigris medium impediit *crus*
Pellibus —
I, 3, 5. Si peteret per amicitiam patris atque ſuam, *non*
Quicquam proficeret.
I, 7, 34. Oro, qui reges conſueris tollere, cur *non*
II, 3, 260. Excluſus qui diſtat? agit ubi ſecum, eat, an *non*
II, 5, 59. O Laertiade, quicquid dicam, aut erit, aut *non*
Ep. I, 18, 16. Propugnat nugis armatus: Scilicet, ut *non*
Sit mihi prima fides? et, vere quod placet, ut *non*
Acriter elatrem?
Serm. II, 1, 55. Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit *bos*
II, 3, 183. Latus ut in Circo ſpatiere, et aëneus ut *ſtes*
Ep. II, 2, 38. Grandia laturus meritorum praemia. Quid *ſtas*?
Serm. II, 3, 6. Dic aliquid dignum promiſſis. Incipe. Nil *eſt*.
II, 3, 187. Ne quis humaſſe velit Aiacem, Atrida, vetas *cur*?
II, 7, 104. Obſequium ventris mihi perniciosius eſt *cur*?
Ep. I, 1, 65. Ine tibi melius ſuadet, qui, Rem facias, *rem*,
Si poſſis, recte; ſi non, quocunque modo *rem*.

II,

solerti allusionum, quas vocant, frequentatione, nec raro dogmatum philosophicorum atque etiam versiculorum, modo ex antiquiorum, modo ex aequalium poëmatis

II, 2, 99. Discedo Alcaeus puncto illius: ille meo *quis?*
A. P. 328. Uncia, quid superat? Poteras dixisse, Triens. *Eu!*

Nimirum illae ipsae clausulae adiuvabant ironiam comicam, quam omnibus his locis quaereret. Quale fieri quomodo potuerit, eius rei caussas indagandas praecepit nobis ille, qui, si quis unquam, *legitimum sonum digitis* callet *et aure*, vossius ad Virgil. Georg. I, 181. Pluribus autem eiusmodi clausulis versuum in Satiris atque etiam in Epistolis (quamquam in Epistola ad Augustum quidem nihil fere eiusmodi) certe sententiae qualiscunque vim auctam ac recitationi legem commode praescriptam a Poëta dicas. Nam quum in periodi rhythmicae fine, etiam ubi sensus in versum sequentem continuatus transit, recitator clausulam versus quamcunque notare ac distinguere debeat paullulum immorando: necesse est ut, sicubi monosyllabum in clausula emineat inexspectata quadam gravitate, percellatur et in hoc omnium maxime defigatur recitator. Praeter collata ironiae exempla, quae ad hoc etiam genus, quod latius patet, referri possunt, illustrabunt, quod diximus, hi versiculi: Serm. I, 1, 92. 2, 100. 3, 128. 7. 13. 20. II, 3, 152. 202. 5, 2. 8, 61. Ep. I, 1. 8. 70. 12, 5. 17, 1. 56. 18, 76. 20, 7. II, 2, 18. A. P. 40. 282. 348. multique alii.

Uni

matis delibatorum, abusu omnium facetiarum plenissimo, lectoris superbi vincuntur fastidia. An eandem illam,

---

Uni et alteri loco magnificum quiddam inest, ut illis:

Serm. I, 4, 43. Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque *os*
Magna sonaturum —

Ep. I, 16, 6. Valle: sed ut veniens dextrum latus adspiciat *sol*

A. P. 291. Quemque poëtarum limae labor et mora. Vos, *o*
Pompilius sanguis —

Nonnunquam μιμητικόν quid, modo parvitatis notionem augens, ut in celebratissimo illo A. P. 139:

Parturiunt montes: nascetur ridiculus *mus* —;

modo gravitatis qualiscunque, ut in illis:

Serm. II, 1, 55. Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit *bos*

Ep. I, 2. 26. Vixisset canis immundus, vel amica luto *sus*

II. 2, 75. Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit *sus*.

Non raro mimicam quasi gratiam hoc artificio additam puto, ut in istis:

Serm. I, 1, 69. - - - Quid rides? mutato nomine de *te*
Fabula narratur.

Serm. I, 3, 19. - - - - - Nunc aliquis dicat mihi: Quid *tu*?
Nullane habes vitia?

I,

illam, quaeso, assequi potuisset, nisi ipse sermone usus fuisset plerumque per humum repente, numerisque fere levioribus labente 37)? Graviores vero, quas immiscet, sententiae; subitae, quibus passim utitur, sen-

I, 9, 69. - - - - - - Hodie tricesima sabbata, Vin' *tu*
Curtis Iudaeis oppedere?

II. 3, 80. Aut alio mentis morbo calet. Huc propius *me*,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.

Ib. 185. Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras *tu*,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem.

II. 6, 51. Quicunque obvius est, me consulit: O bone, (nam *te*
Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet)
Numquid de Dacis audisti? Nil equidem. Ut *tu*
Semper eris derisor!

Ep. II, 2, 13. Nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a *me*
Quivis ferret idem. Semel hic cessavit, et, ut *fit*,
In scalis latuit metuens pendentis habenae.

Conf. insuper Serm. I, 3, 21. 5, 56. 9, 73. II. 5, 35. 8, 61. &c. In omnibus hisce versiculis vocabuli monosyllabi ea est vis mimica, quam pluribus explicare possis.

37) Illi quidem non audiendi, qui quam Horatius sibi numerorum legem in Satiris praescripsit, eandem et PERSIO et IUVENALI scriptam censent, (ut elegantis ceteroquin ingenii homo, DAN. HEIN-

sententiarum conversiones; splendidiora auctorum, quae quantumquam ad vim augendam, plerumque ad leniorem risum lacessendum intexit, loca: an illa, et plura eiusmodi, movere satis possent legentes, nisi, verborum numerorumque extra corpus orationis eminenti-

F um

HEINSIUS l. c. p 53, 54) atque igitur Persium, quod grandi scribat stilo, et Iuvenalem, quod epica utatur dictione, taxant (ut eruditissimus GER. IO. VOSSIUS Institt. Poët. III. 9. §. 15). Qui si rerum aestimatores fuissent omnibus aequi, dixissent potius et hac in re: *Est locus unicuique suus.* Nam ut alia aetas aliam satiricae poësi praebebat materiam, aliudque ingenium ad aliud dicendi genus sponte deferebatur: ita alii numeri conveniebant aliis Satirae generibus. Versuta levitas grataque negligentia illa hominem longe urbanissimum decebat: an pallio Stoico amictum, an tragico cothurno incedentem decuisset? Persio quidem in tristi illo supercilio, in singulari illa orationis obscuritate maxime opus erat concinnis versibus et canoris, ne omni dote, quae praeter sanctum pectus poëtae posset lectorem tenere, carerent poëmata austera. Iuvenalem autem quum ira armasset hexametro, faceretque indignatio versum: numeri grandius quiddam sonantes, divinius quid spirantes, et rerum atrocitati et ingenii fervori unice respondebant.

um insolentia fortius aures ferirent **)? Hoc omne autem genus quantum afferat ad elegantissimam illam urba-

**) Apponere lubet, tironum maxime caussa, exemplorum silvam ex Satiris comparatam.

Serm. I, 1. v. 99.	- - - - - - - - - At hunc liberta securi Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
I, 2, v. 31.	- - - - - - - - - - - - - - Macte Virtute esto! inquit sententia dia Catonis.
Ib. v. 37.	Audire est operae pretium, procedere recte Qui moechis non vultis, ut omni parte laborent.
I, 4, 43.	Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
Ib. v. 60.	Non, ut si solvas, Postquam Discordia tetra Belli ferratos postes portasque refregit —
I, 5, 9.	- - - - - - - Iam nox inducere terris Umbras, et caelo diffundere signa parabat.
Ib. 52.	Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri, Musa, velim, memores, et quo patre natus uterque

Con-

urbanitatem, quae Nostri Sermones inter omnia linguae Romanae poëmata unice excellunt, augendam et

F 2 lepore

Contulerit lites. Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat. Ab his maioribus orti —

I, 6, 23. Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis.

I, 7, 12. Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors —

I, 10, 36. Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput —

II, 1, 13. - - - - Neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.

II, 2, 92. - - - - - - - - - - - - - Hos utinam inter
Heroas natum Tellus me prima tulisset!

II, 3, 222. - - - - - - - - Quem cepit vitrea fama,
Hunc

lepore iucundiſſimo conſpergendam, non ignorant, qui ſciunt *inurbanum lepido ſecernere dicto.* Neque multos fore puto, qui totum hoc, quod illuſtravimus, Horatii artificium, proditum ab ipſo, quo nemo clarius, quas generi cuique, quo ſcriberet, ſtatuerit leges, expoſuit Poëta [39]), mirentur potius quam admirentur. Quem fuiſſe dicas nusquam ineptum, ſed, ſi quis

---

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis

II, 5, 39. Perſta atque obdura; ſeu rubra Canicula findet
Infantes ſtatuas, ſeu pingui tentus omaſo
Furius hibernas cana nive conſpuet Alpes.

II, 7, 83. Quisnam igitur liber? Sapiens, ſibi qui imperioſus:
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent;
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, et in ſe ipſo totus; teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari;
In quem manca ruit ſemper fortuna.

39) Serm. I, 10, 11. Et ſermone opus eſt modo triſti, ſaepe iocoſo;

De-

quis unquam vel homo vel poeta, ſubtiliſſimo ac veriſſimo in quacunque re eius, quod deceat, quod conveniens ſit, praeditum ſenſu. Quod quum in reliquis operibus ſuis, maxime in carminibus probaſſet numeris quibusque ad cuiusque argumenti, quod tractaret, naturam aptiſſime lectis et modulatis [40]): tum in Satiris numerorum inaequalitate ſimulataque negligentia ita praeſtitit, ut rem ex instituti, quod ipſe ſequeretur,

---

> Defendente vicem modo rhetoris atque poetae;
> Interdum urbani, parcentis viribus atque
> Extenuantis eas conſulto.

Rhetorem audis paſſim in oratione Damaſippi, Catii, Davi &c.; poëtam in quibusdam eorum, quae annot. 38. attulimus.

40) Nonnulla huius generis ab Horatii interpretibus monita reperias, ut a MITSCHERLICHIO in ſingulorum Carminum argumentis, I. 4. IV. 7. II 6. Epod. 15. &c Sermones equidem hac ex parte a VOSSIO vellem illuſtratos Sic in Satiris mira libri primi ſecunda v. 128 ſeq., ubi tumultum ſtrepitumque ipſi videmus, audimus. Tumultum autem augeri meris illis aſyndetis, ſtrepitum frequentata litera canina, facile ſentiant omnes. Singuli etiam verſus μιμητικοί, ut Serm. II, 2, 39. *Porrectum magno magnum ſpectare catino* Spondeorum enim gravitas refert nobis praegrandem mullum in praegrandi patina tarde pandiculantem.

queretur, peculiari ratione, non ad communium praeceptorum normam iudicantibus abunde ſatisfacit.

Ne quis tamen ex his, quae diximus de negligentiae ſimulatione, licentius quiddam in dictione Satirarum a nobis ſtatui ſuſpicetur, quam quale dare et volumus et poſſumus; illud addidiſſe iuvabit: Horatium, etſi ſermoni propiora ſcribere inſtituiſſet, caviſſe tamen, ne plane ad pedeſtrem modum demitteretur oratio. Mediam potius tenuit viam, ab eo, quod vulgare eſſet, atque ab eo, quod arceſſitum, utrinque reductam: neque ornatu quaeſito conſpicuus, neque habitu incomto ſordidus; ſed, qualem vult puellam venire, *ſimplex munditiis.* Hoc ut efficeret, quod ſeriore tempore praecepit, id ipſe ante praeſtitit, ut *in verbis etiam tenuis cautusque ſerendis* [41]), ſaepe nota vocabula callidae iuncturae ope redderet nova; et ut, quam Satyrorum dramaticorum ſcriptori legem poſtea tulit [42]), eam ipſe in alio genere prius obſervaret, vocabulis, quae cuique familiaria eſſent, apte miſcendis ſingularem poëmatum dictionem fingens eiusmodi,

- - - - - - - - - - ut ſibi quivis
Speret idem: ſudet multum fruſtraque laboret
Auſus idem. Prae-

[41]) A. P. 46, quem verſum Bentleius non bene tranſpoſuit.
[42]) Ib, 240 ſeq.

Praecipue autem brevitati studuit *), limatissimaeque austeritati illi, quam in antiquioribus Poetis plane desideraret: deterens sibi multa, recidensque quodcunque ultra perfectum traheretur. Qui quum paucis placere, nec in ludis poemata sua pueris dictari vellet **), lectores requirens, qui nonnulla sibi relinqui amarent: transitionibus quam accessionibus in singulis Sermonum partibus uti maluit: abrupto illo dicendi genere, in Satiris maxime quidem, passim vero etiam in Epistolis, ut in Ep. ad Pisones, frequentato; quod nescio an illo etiam aevo vulgaribus lectoribus, quibus non apparerent *tenui deducta poemata filo*, molestiam facessiverit, recentioribus certe temporibus interpretes tantopere vexavit, ut alii, qui in aliam linguam Sermones vertere conarentur, periphrasin plerumque pro versione darent; alii, qui commentando ceteris notos facere studerent, nonnunquam laboris vanitatem scriptoris accusatione redimere atque ulcisci tentarent.

Plura quidem eorum, quae de grata quadam numerorum ac dictionis negligentia, Satiras potissimum, respi-

*) Serm. I, 10, 9. Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures.

Conf. I, 4, 9 seq. 10, 50 seq. 65 seq. Ep. II, 2, 109 seq.

**) Serm. I, 10, 74 seq.

respicientes disputavimus, his non ita propria esse volumus, ut ad Epistolas plane non pertineant. Inaequalitas certe illa, non temeraria quaedam, sed ad sententiarum ex alio genere in aliud defluentium varium colorem callidissime temperata, universo huic exquisitioris in scribendo venustatis generi naturâ convenit; neque apud Horatium, aut, si placet, apud LUCIANUM magis, quam apud PLATONEM, illum compositionis atque orationis mire variandae 45) summum artificem.

Aliis iudicandum relinquimus, an post ea, quae hactenus de singulari, quam Flaccus in Sermonibus prudenter adhiberet, scribendi indole disseruimus, fas sit addere; si cui negligentia illa sermonis et numerorum in Satiris quidem verior, minimeque simulata videatur, quam nobis, ei nos subministrare posse praeter diversam Poëtae ad omnem virtutem progressi aetatem et praeter diversum Epistolarum genus, quod quatenus ad singulos spectaret, urbanitatem requirere videretur maiorem, huiusmodi etiam suspiciones. Fortasse Flaccus, dicat aliquis, iuvenis satis habuerat, LUCILII, quem ex parte ducem sequeretur, incultos versus superasse: sibi nonnihil licere in Satirae versibus componendis arbitratus,

45) Quid velim, adumbravi ad Platonis Vitam p. 210 - 212.

arbitratus, quo in genere scriptionis primi auctores omnia sibi licere existimassent. Vir autem maturus, severiore lege proposita, ad maiora tendebat; certans cum politissimis aevi sui artificibus, quantum quidem scribendi genus permitteret; tacitam fortusse etiam rationem habens reprehensionis, in quam apud quosdam aequalium [46]) incucurrerat de numerorum arte minus religiose tractata.

Sed, utcunque de eaussa differentiae statuis, hoc saltem, quod supra iudicavimus, constabit, Epistolarum, potiorum certe, numeros esse concinniores et ad aurium voluptatem commodius comparatos. Maiorem iacturam faciunt igitur iambo pro heroico versu ad vertendum sumto Epistolae quam Satirae. Quarum pars magna quum ad dramaticum genus accedat, in iis vel hoc nomine excusatius usurpatus videri poterat iambus. Quanquam in lingua Germanica per VOSSIUM maxime ad omne hexametri artificium conformari

G coepta,

[46]) Serm. II. 1, 2 seq. - - - - - - sine nervis altera, quicquid
Composui, pars esse putat, similesque meorum
Mille die versus deduci posse.

Quale indicium, si Graece Athenis scripsisset Periclis aetate, aut omnia me fallunt, aut nunquam expertus esset Charitum alumnus; quo (ut, quod Demostheni Cicero tribuit, in Flaccum transferatur) *ut Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas.*

coeptis, post egregiorum quorundam virorum, ut SCHUETZII, HERDERI aliorumque pericula, iam quidem non licet desperare integram Satirarum atque Epistolarum versionem hexametris, nec magno pondere missis, nec debilitate laborantibus, conscriptam; omne punctum laturam, si non solum mentem scriptoris spirabit, sed etiam numeri varietatem illam menti ubique respondentem ludentis specie reddet 47).

IX.

47) Quaecunque vero suscipietur nova Satirarum atque Epistolarum versio, ipsos Horatii numeros et rhythmos aemulata (ESCHENII, tristissimo fato abrepti, dum haec scribo, recurrit imago: cui si luce frui diutius contigisset, praeclarus iuvenis daturus erat omnium Epistolarum versionem, qualem priorit ad Lollium dedit); ex WILANDI tabulis saepissime mutuandi erunt colores; cuius interpretis Commentario, verae elegantiae sapientiaeque thesauro, dum nostrae loquentur literae, suus constabit honos. Quo magis optandum est, ut levioribus naevis, qui passim pulchro corpori inspersi deprehenduntur, (faciliori quidem cum venia neglecti, quo liberius in omni illa commentatione, ad uberiorem lectoris et fructum et oblectationem, suo Genio indulgeret vir elegantissimus idemque optimus atque integerrimus) nova, quam speramus, editione redeat perpurgatus.

ADUMBRATIO QUAESTIONIS
DE
SATIRAE ATQUE EPISTOLAE HORATIANAE DISCRIMINE,
PARS III.
CUM DISQUISITIONE DE ARTE POETICA, QUAM VOCANT.

QUAM DISPUTATIONEM
PRAESIDE

CAROLO MORGENSTERN

PHILOSOPHIAE DOCTORE, ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO,
SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SOCIO HONORARIO
D. XIV. APRIL. MDCCCII.
IN AUDITORIO MAXIMO ATHENAEI GEDANENSIS
HORA X.

PUBLICE DEFENDET
F. A. D. WEYGOLDT, GEDANENSIS, I. U. C.
STIPENDII FISCHERO - FERBERIANI ALUMNUS,

ADVERSARIOS HABITURUS
G. S. HAVEMANN, POMERAN., I. U. C.
G. W. COSACK, GEDAN., TH. C.

GEDANI,
FORMIS DAN. LUDOVICI WEDEL, SENATUS ET ATHEN. TYPOGRAPHI.

IX.

Ambae, quas explicavimus, discriminis notae, tum in argumento, tum in genere dicendi numerorumque ratione quaesitae, distinguunt illae quidem συλλήβδην utramque universe, atque igitur singulas utriusque generis eclogas inter se. Sed tamen neque omnes, nec satis. Nam v. c. in sexta secundi libri Satira orationis color fere non alius, quam in similis argumenti Epistola ad Fuscum Aristium. Accedat igitur eiusmodi nota, qua eae etiam Satirae, quae vel argumento, vel dicendi genere minus aperte discordant Epistolis, accurate queant discerni, eaque perhibeatur palmaria.

Monitum est supra, quod neminem fugit, argumenti quantumvis varii esse posse Epistolas. Quum itaque in Epistolae materia non inveniretur certum indicium, quo posset agnosci natura, in *forma* erat quaerendum. Ex huius enim lege ad certas scripta esse debebat personas. Quarum appellationem recte (si quidem nostram sententiam illius verbis tribui fas est) negabat DUSCHIUS [48]) sufficere ad Epistolam a

H Satira

[48]) *Briefe zur Bildung des Geschmacks*, T. VI. p. 422. Ea omnia eius hac de re verba: „*Mich dünkt, der Unterschied, der nur bloss darauf beruhet, dass die Epistel irgend eine Person anredet, die Satire aber nicht, ist keine feste, wesentliche Verschiedenheit,*

Satira distinguendam. Qui, quid maxime ad acriorem distinctionem deesset, vellem addidisset. Nimirum Epistolae esse, non solum ut certa persona in ea appelletur, sed ut per totam ratio eius habeatur perpetua 49).

Ex

denheit, wodurch sie verschiedene Gattungen werden." At paullo ante dixerat (p. 421): „*Gesner sagt ganz richtig, wie die erste Satire, ingleichen das Werk von der poëtischen Kunst Episteln genannt werden könnten; so könnten die Episteln hinwiederum den Namen Satiren führen.*" Patet igitur, re propius inspecta, et DUSCHIUM cum Casaubono ceterisque permiscuisse Satiram atque Epistolam. Quod intelligitur etiam ex altero loco (p. 1.), ubi ait: „*Die Satire,* (nimirum loquitur universe, non de Satira Horatiana singulatim) *im Tone von dem Briefe wenig oder gar nicht unterschieden, ist vertraulich, unterhaltend* &c." Quasi tam vage dictis, quibus nihilo minus Iuvenalis poëmata, si Diis placet, Satirarum numero excluduntur, quidquam proficiatur.

49) Male igitur GESNERUS ad Hor. Ep. I. 1. libri primi Satiram primam censuit propter appellatum ibi Maecenatem Epistolam posse vocari. Neque bene scripsit CASAUBONUS *de satyr. Gr. poës* &c. p. 229: „Epistolae etiam sunt, quas maximus ille Horatii imitator, Persius ad Plotium Macrinum, Annaeum Cornutum et Caesium Bassum misit." Nam tres Persii Satirae sunt illae quidem quibusdam inscriptae, sed nonnisi dedicationis caussa, quae tractandi modum nihil afficiat. Quosdam quidem versus secundae et sextae Satirae praemisit, in illa quatuor, in hac sex, quibus Plotium Macrinum et Caesium Bassum, amicos, alloqueretur. Sed

versus

Ex hac primaria Epistolae a Satiris discrepantia iam poterit, tanquam e fonte, haec insuper deduci. Incerta quum sit Satirae forma, nec ullo modo definita: in Satirarum numero dramatici generis poëmata atque adeo veri Dialogi esse possunt; in Epistolarum, quarum forma est certa, non possunt. Nam non alienum quidem ab his, ut directa oratione referantur sermones scriptoris ore inclusi, v. c. Philippi et Vulteii Menae in venustissima Epistolarum ad Maecenatem; alienum vero, ut simpliciter ponantur personae dramaticae. Ac Satirarum quidem Horatianarum liber secundus tantum non omnis constat Dialogis; ita vero, ut in modo nonnihil reperiatur diversi. Aut enim Horatium videmus cum alio quopiam colloquentem, ut in prima cum Trebatio, in tertia cum Damasippo, in quarta cum Catio, in septima

versus isti aut nihil faciunt aut parum ad argumenti tractationem, quo in altera superstitiosos, in altera sordide viventes locis communibus castigat. At in quintae *maxima parte* Cornuti praeceptoris encomium pius discipulus persequitur. Quod qui affirmat Casaubonus, eum cave ne audias. Nam illa Satira tribus et triginta versibus (21 — 51. 62 — 64) habet Cornuti laudes. Cetera, quae desunt ad ducentorum versuum summam conficiendam, ad alios quosvis potius, quam ad Cornutum, pertinent; nisi forte dicere velis, *puerum dictata magistro reddere.* Satirarum igitur nomen illae, quibus deest accommodatio scriptionis ad eum, cui quaeque est missa, tueantur omnes; Epistolarum tuetur nulla.

cum Davo, in octava cum Fundanio. Aut ne Poëtam quidem ipsum usquam conspicimus, vel duobus aliis interlocutoribus introductis, ut in quinta Ulysse et Tiresia; vel uno, μονολόγω, propriam personam sustinente, ut in octava libri primi Priapo. Non multum absunt a dramatica ratione duae Satirae, quas ad *diegematicam* Sermonum formam referas: quarum altera Horatius colloquium suum cum garrulo isto narrat [50]); altera Ofellum patremfamilias per totam eclogam

50) Omnino hac ratione, quam PLATO in pulcherrimis quibusdam operum suorum adhibuit, non pauca lineamenta subtiliora poterant *effingi*, quae haud scio annon in mero Dialogo locum invenissent; ut in ipso Sermonum Horatianorum illo: *Ibam forte* &c. vs. 4. 8 — 11. 20. 42. 43. 63 — 66. 75. Quid? quod totum huius Sermonis argumentum modo prorsus dramatico vix tam venuste tractaretur. Nam ut omne illud morum exprimendorum artificium, quod expromsit Horatius, expromi posset, tres saltem personae inducendae fuissent colloquentes, totiusque eclogae ambitus amplificandus. Cuiusmodi amplificationi dubito an ipsum huius Satirae argumentum, hominis ad Flacci familiaritatem fortunamque inepta garrulitate misere adrepentis notatio, satis convenisset. Nunc enim garruli ineptiis cum voluptate ridentes adstamus, quem, si res traheretur, languidi deseruissemus. Ac similibus quidem rationibus, quibus Horatium motum dixi, qui in hac morum notatione a Dialogo perfecto abstineret, inductum arbitror ENGELIUM nostrum in novissimo, quod nisi artificis nomine commendaretur, artificis nomen commendasset, opere (*Herr Lorenz Stark*. Ein Charaktergemälde, Berl, 1801), ut narrationem, eam

eclogam orantem paucis verbis [51]) introducit.

Eo autem, quod in Satiris tam variae personae introducuntur, earumque ore multa aptius et concinnius dicuntur, quam si ex sua persona scriptor dixisset [52]), oratio distinctius variatur, eminentius exornatur, laetiore vigore perfunditur; non solum interro-

---

eam quidem ad dramaticum genus, quoad per scriptionis genus fieri ullo modo posset, quam proxime accedentem, dare mallet pro ea, cuius olim institutae tam clare apparent vestigia, ut singulos Actus et Scenas, quas dicimus, me eruturum mihi sumam, Comoedia. Quod enim elegantissimus formarum spectator Dialogos narratione quasi indutos praetulit merae Dialogorum dramaticorum texturae; id duobus potissimum caussis factum opinor. Primum, quia formae diegematicae praesidio plurima et tenuissima animorum lineamenta ducere atque adeo ex propria cuiusvis indole accuratissime poterat explicare, quae in Comoedia non potuisset adhibere omnia, nisi Scenarum multitudine extra modum fabulae certo tempore peragendae, simulque intra *actionis* poëticae necessitatem, cumulata. Deinde, quia infinitam illam significationem morum exteriorem, eamque argutissimam, nobis ob oculos ponere nunc poterat callidissimus rei mimicae indagator, quae tum incerto histrionum arbitrio relinquenda fuisset.

51) vs. 2, 3. 112 — 116.

52) Personis enim Dialogorum more introductis praeter alias orationis virtutes augebatur proprietas. Sic narrat, quae optime nosset spectator, Priapus, et narrat ita, ut solum deceat Priapum: Nec

terrogandi et reſpondendi vicibus, ſed perfecta perſonarum imitatione. Nam interrogandi quidem et reſpondendi vices habes etiam apud PERSIUM; ſed frigidas pugnantis cum ſpecie adverſarii vago ambitu concepta. Apud noſtrum vero Satiricum moventur, vivunt, ſpirant omnia. En Trebatium, feſtiva gravitate reſponſa dantem; en Damaſippum illum, non ſolum ſe prodentem 53), ſed etiam Stertinii verum crepan-

Nec prudentius a quoquam, ius Satirae ſcribendae defenſuros, reſponſum de malis carminibus petiiſſet Satiricus, quam a docto Trebatio, Iureconſulto. Bonum Ofellum de frugalitate ſermo decebat: an nitidum Maecenatis commenſalem decuiſſet? Nemo mehercule de omnium inſania diſſereret lepidius, quam quem omnes inſanum non temere appellarent, (v. 48. 40; cf. 298. 18. 27. 64) Damaſippus; nec ſapientiam culinariam iſtam doctius quisquam enuclearet Catio, γαστρολογια. Heredipetae autem Romani artem docendi perſonam quis ſuſtinuiſſet non ſolum gravitate iocoſius, ſed etiam munere ac conditione verius, quam Tireſias vates; diſcendi, quam Laertiades ſine re male redux? Quum vero ſe ipſum, aliorum caſtigatorem, caſtigatione dignum vellet praebere: quemnam callidius introduxiſſet opertum latus ſcilicet nudantem, quam illud, a quo non peius quidem intelligeretur, quam ab obtrectatorum turba, amicum domino mancipium? Ridiculum denique beati Naſidieni convivium quis quaeſo enarraſſet maiori et fide et lepore, quam Fundanius ille, Naſidieni conviva idemque Comicus?

53) An ſe prodit etiam ſuosque mores verſibus 27 — 30, ut in omnibus, quotquot perſonarum habent diſtinctionem, editionibus

crepantis acumen ad ungues exprimentem; en mihi Tiresiam atque Ulyssem, Homericos quidem, nec Home-

nibus et versionibus leguntur? ubi, postquam Horatius narranti de perdita emacitate responderat: *Novi: Et miror morbi purgatum te illius*, Damasippus haec edit:

- - - - - - - - - - - - - Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Traiecto lateris miseri capitisve dolore:
Ut lethargicus hic, cum fit pugil, et medicum urguet.

Quid? num homini insano candor ille convenit, ut ipse illico promat, se alio mentis morbo laborare? Miranti purgatum vitii cuiusdam ingenue respondere, se vero pro illo vitio iam alio premi: utrum id inepte superbientem philosophorum aemulatorem sapit, an potius virum modestia et candore vere sapientem? Et quinam tandem est morbus iste novus, quo Damasippus se sentiat calere? Stoicae philosophiae impetus certe ipse non pro morbi, sed pro sanitatis indicio habet, quae sibi contigerit, ex quo Stertinius *solatus iussit sapientem pascere barbam*. Nec tam humiliter sentit de se, qui eundem Stertinium, sapientum octavum (v. 296), sibi, amico, dixisse narrat: *Cave, faxis te quicquam indignum!*

Ne multa: falsam esse dico vulgarem personarum distinctionem, et miror, tale quid interpretes latuisse omnes. Verba *Atqui — urguet* non sunt Damasippi: sunt ipsius Horatii non minus quam illa: *Dum ne quid simile huic, esto ut libet*. Iam egregie concinunt omnia. Poëta, Damasippum emacitatis morbo purgatum miratus, in homine, qui modo in se inmisisset contumeliose-que

Homericos tamen, at personas, quae sibi constent, quae nobis spectantibus agant, novo salium genere scatentes. En Davum, libertatis Decembris abusu, quae Cynici ianitor docuisset, deblaterantem. Fruere beati Nasidieni coena, Servilio Balatroni ceterisque convivis allectus ipse conviva. Quid plura? Satis confirmatum puto et auctum, quod (VII) de diverso utriusque corporis colore dictum est. Accedit enim ei coloris diversitati, quae maxime penderet a materiae disparilitate, illa, quae potissimum ducitur a discrimine formae.

Iam pulchre conspirant omnia ad certum et peculiarem utrique poëmatum parti characterem conciliandum. Argumento enim ac dicendi generi Satirarum magis et salso et vario optime respondet illustrior

---

que esset invectus (*Sic raro scribis* &c. *Quid fiet?* &c. *Sobrius ergo* &c. *Invidiam placare paras, virtute relicta? Contemnere, miser* &c.) facile senserat novum furorem; quod verbis *Atqui emovit* &c. stulto homuncioni, qui Satiricum ipsum audet castigando interpellare, significat, vultu arguto adiiciens non sine petulanti ad Damasippum respectu illa, quae huius ore prolata nil nisi exemplum continerent qualecunque: *ut lethargicus hic, cum fit pugil et medicum urguet. Dum ne quid simile huic* &c. Vix levius illud monere attinet, nunc etiam propius ad Horatium spectare, quibus v. 297 Damasippus orationem concludit: *ne compellarer inultus.* Quae ex vulgari personarum distributione nonnisi universe dicta poterant sumi, quum ex illa Damasippum Horatius ne compellasset quidem.

54)

ornae forma et vigor et varietas; Epistolarum argumento ac dictioni, puriori utrique ac magis aequabili, venuste convenit constantior e forma et moderatio et simplicitas.

Hae tamen ne usquam langueant, impedit tum illa, quae latius in Epistolis patet, argumentorum varietas 54), quibus aptissime accommodatur dictio;

I tum

54) Argumentorum Epistolae poeticae varietatem tantam supra diximus, quanta est vulgarium Epistolarum. Nec poterat certis circumscribi limitibus, nisi quos constituere velis poeticae aut inventioni aut elocutioni. Haec igitur partibus sunt innumerabilia, generibus pauca. *Didacticarum* enim aliud genus, aliud *elegiacarum*, quales Ovidius scripsit; aliud *familiarium*, argumenti de medio sumti, vel *serii*, vel *iocularis*. Didacticae vero, ad quas referuntur Horatianarum longiores gravioresque, apud nostrum Poëtam sunt vel *ethicae*, vel *criticae*. Familiares fere breviores: ex quibus serii argumenti, nullo ioco diluti, epistola commendaticia ad Claudium Neronem; iocularis v. c. Ep. ad Vinium Asellam et Ep ad librum suum

Cuiusvis generis quum esse possint Epistolarum argumenta, insunt etiam nonnullae *haud magna cum re*, eaedemque perbreves, ut libri primi quarta, quae 16, octava, quae 17 versibus constat; quum Satirae materia contra maiorem plerumque postulet ambitum. Insigniorem igitur reperimus inter Epistolas Horatianas longitudinis inaequalitatem, quam inter Satiras.

tum illa, quae oritur ex insigni diversitate eorum, quibus mittendae scribuntur Epistolae, colorum multiplex temperatio. Longe enim hic, vel in moralis argumenti Epistolis, alia ratio, quam in quorundam aliorum, v. c. SENECAE ad Lucilium: quas, rebus aureas illas quidem, an Lucilio scripserit, an sibi, an generi humano, ex ipsis fere non perspicias. Apud Horatium contra ad certorum hominum [55]) conditionem et habitum ita fingitur ac conformatur oratio, ut ea conformatione singulari novus oblectationis fons recludatur, tum propriis et peculiaribus illorum ingeniis ac moribus cognoscendis, tum observanda auctoris dexteritate in similibus argumentis, atque adeo in iisdem, varie, neque unquam inepte, tractandis. Sic in Epistolis ad Aristium Fuscum, Bullatium, Iccium, communem reperimus familiarium, quibus parcat scriptor, reprehensionem; at (ut iam observavit Wilandi [56]) acumen) in Epistola ad Aristium tam modeste, benevole et leniter adhibitam, ut speciem recuset reprehensionis; quae in Ep. ad Bullatium festivo lepore est illita, in Ep. ad

55) Valet hic, quod de aliis quibusdam Epistolis SHAFTESBURIUS l. c. p. 20 ait: „Much less cou'd we find pleasure in this reading, shou'd we take it into our heads, that both the Personages and Correspondency it — self were merely fictitious.„

56) Ad Hor. Epp. T. I. p. 197.

57)

ad Iccium Attico sale condita, sed eo, quod nonnihil sapiat superbi iudicis fastidium: ut Aristium ab amico diligi, Bullatio a bono opem ferri, Iccium a faceto illudi intelligas. Sic Epistolae ad Scaevam et Lollium eandem docent cum principibus vivendi artem: at quam callide diverso utriusque ingenio et conditioni attemperantur praecepta [57])! Ne Epistola ad Augustum quidem absimilis argumento Epistolae secundae ad Florum, amicum. At in illa iudicii libertas atque integritas cum meditata quadam modestia et moderatione, quae Horatium deceret erga Caesarem, felicissime copulatur ita, ut incessum paullo graviorem politissima decoret urbanitas; in hac vero leviori pede facilius movetur, ex rei poëticae ob literatae turbae ineptias fastidio non omni ex parte vero ad iusti poëmatis formulam, atque inde ad sapientiae praecepta raptim decurrens. Quid quaeris? Ubique apparet is, qui *descriptas servare vices operumque colores*, si quis alius, minime ignoret.

Neque id in singulis tantum opusculis cernitur, sed in duobus illis corporibus universe. Quae quam vim, nequaquam omni ex parte aequalem, in legentium habeant animos; si ad ea, quae ipsi sentirent, attentiores plerique fuissent, non hac erat disputatione

57) Praeter Wilandum conf. HABERFELDUM in Prolegg. ad Ep. I. 18. p. 659.

tione exponendam. Me quidem illas fateor quotiescunque relegerim, nova voluptate perfuſum de manibus depoſuiſſe: ſed ita, ut non eodem plane modo ſurrexerint affectus; quaeſiviſſe igitur ex me, quid inter ſenſus meos intereſſet, et unde id, quo diſſonarent, ducendum videretur, atque ita ad omnem hanc quaeſtionem eſſe delatum. Quid alii ſentiant, neſcio. Me certe Satirae Horatianae pungebant magis, tenebant, movebant; Epiſtolae magis mulcebant, iuvabant, tranquillabant. Illae videbantur acriores, hae dulciores. Illis iucundius fallebar; his ſuavius erudiebar. Illae me hilariorem dimittebant; hae me mihi reddebant amiciorem.

Diverſe autem utroque corpore me affici, minus mirabar, quia Horatium, etſi in Satiris atque Epiſtolis inventionis laude praeſtantiorem, aliorum tamen inventa, qua erat iudicii ſinceritate ingeniique verſutia, non omnino aſpernatum ſciebam; in utroque autem opere non iiſdem plane, quae ex parte ſequeretur, exemplis uſum eſſe, perſuaſum mihi habebam. In Satiris enim, quod ſupra occupavimus diſſerendo, LUCILIUM maxime, eoſque, a quibus ille penderet, priſcos Graecorum Comicos, novae inſuper Comoediae auctores, illum praecipue, qui ex Theophraſti ſchola ad hominum mores in ſcena pingendos prodiit, MENANDRUM, atque etiam Mimographos Graecorum, fortaſſis illum potiſſimum, quo Plato dicitur gaviſus, SOPHRONEM habuit ante

oculos;

oculos; ab ipso PLATONE praeterea aliquantum lucratus in eo, quod ipse unum, ut ille in Dialogis, tractat in unaquaque Satira argumentum primarium, adhibitis nonnunquam secundariis quibusdam consiliis; eodem lectitando id consecutus, quod Attica urbanitate nitet tersius, quod ironia utitur lepidiore, quod salubribus vitae praeceptis vere Socraticis abundat uberius. In Epistolis contra cum Lucilio nihil ei commune, nihil cum Comoedia. Nam in iis quidem, quae moralis sunt argumenti, *rem* tractandique rationem *Socraticae* poterant *ostendere chartae*: non magis tamen, quam pectus purum, ad ea, quae prodessent ipsi atque amicis, providenda urgens. In iis autem, quae in critico versantur argumento, ut Epistolae ad Augustum, Florum, Pisones, materiam modumque monstrabat proprium maxime et ingenium et iudicium, quibus rebus Romani illius aevi cummaxime indigerent ad Musarum sacra sanctius colenda, et pervestigans et prodocens.

X.

Iam eo rem deductam arbitramur, ut haud nimium nobis sumere videamur recipiendo, nos Satiras atque Epistolas Horatianas, si casu fuissent turbatae et permistae, earum, quas constituimus, notarum ope ita distincturos, ut ad suum, quo hodie continetur, corpus ecloga quaeque referatur. Quod quo patefiat clarius, age percurramus poëmata: ea

certe,

certe, quae existimatorem intelligentem possint morari, singula. Praecedat operis et scribendi tempore et edendi ordine prioris lustratio. Satirae comparent omnes. Delectum statim habemus, exclusis, quae nemini sunt dedicatae. Quis enim eclogam non inscriptam certae personae Epistolae instar habebit? Restant igitur Satirarum libri primi prima, tertia, sexta.

In prima desideratur primaria Epistolae nota, ratio illius, ad quem missa est, per totum carmen habenda. Nam primis quidem versibus, quibus quaestio, quam tractaturus est Poëta, proponitur, inest allocutio Maecenatis. At sublato uno hoc nomine, nemo intelligat, Maecenati proprie haec scribi. Versu 38. pugnat cum homine, cui dicere possit:

— — — — — — — quum te neque fervidus aestus
Demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum;
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid iuvat, immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?

Quis est, qui non videat, in his et in iis, quae sequuntur, Horatio rem esse cum hominum genere quodam, quod ab amici sui natura longissime abhorreat? In quod etiam acerbissima haec ingerere possit:

Non

Non uxor salvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis amorem?

Assentimur quidem WILANDO 58) observanti, Horatium Satirae Maecenati dedicandae prudenter argumentum elegisse, quod viro blandiretur, quo nemo magis loco, quo esset natus, viveret contentus, elegantiusve maximis uteretur divitiis; quum Sermo de hominibus sua sorte non contentis Maecenati dicatus, vel tacitus huius laudes agnoscendas praeberet. Sed remotior haec Maecenatis respiciendi ratio alia est, quam quae ab Epistola postulatur. Non est argumenti tractandi; sed inveniendi tantum. Certe tractatio non ita, ut Epistolae consentaneum esse vidimus, in singulis operis partibus ad propriam Maecenatis conditionem spectat, nec ad eam, quae Horatio cum magno amico esset, coniunctionem. Materiae igitur quaedam fit ad Maecenatem relatio: formae quidem non inest ea, qualem Epistolae requirit natura. Quid vero dicendi genus in hac Satira? An prorsus convenit cum eo, quod in Epistolis ad Scaevam, Lollium &c. regnat? ut iudicat WILANDUS 59). Mihi quidem illud eiusmodi videtur,

58) T. I. p. 9.

59) Ad Sat. T. I. p. 8: „Der herrschende Ton in diesem Discurse ist mehr ernsthaft als komisch, und demjenigen *völlig gleich*,

videtur, ut universum Satirarum Horatianarum colorem significavi (VII). Vide inprimis vs. 14. 20, 21. 68 seq. 80 seq. 99 seq. 120. Ut autem de Ep. priori ad Lollium dicam, in ea potius audimus, ut Wilandus ait ipse [60]), Socratem cum amico adolescente sermocinantem. Paterna quaedam inest familiaritas, a grassantibus aevi vitiis, avaritia et luxuria, tuentis, ad antiquam virtutem Romanam revocantis. Satirici nihil immiscetur, nisi satiricum dici placet vs. 10. *Quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus, Cogi posse negat;* et vs. 27. *Nos numerus sumus &c.* Praeter haec duo loca ne ironici quidem quidquam inest, ut ipse fatetur Vir sensus verissimi: qui an sibi constiterit satis, iudicet ipse. Ab altera vero ad Lollium Epistola, et ab Ep. ad Scaevam, satiricum dicendi genus longissime abest.

Satirae tertiae libri primi non inest Maecenatis allocutio, nisi v. 64.

Simplicior quis, et est (qualem me saepe libenter
Obtulerim *tibi, Maecenas*) ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone? molestus,
Communi sensu plane caret, inquimus.

In

---

gleich, der in den Episteln an Scaeva, Lollius, u. a. herrschet." Hoc dictum nollem. Addit quidem W.: „Doch zeigen sich überall Spuren der *guten Laune* &c." His accedit ad ea, quae volumus. Sed intra rem locutus videtur.

60) Ad Epp. T. I p. 63.

In reliqua Satira nihil occurrit, quod Maecenati proprie dictum sit. Neque igitur a quoquam pro Epistola habebitur. Quid? quod fieri possit, eam ne Maecenati quidem esse dedicatam, quum ista, quae modo attuli, haberi possint pro mera orationis ad virum amicissimum imaginationis vi repraesentatum conversione; fere ut Sat. VI. v. 107 subito Tillium praetorem alloquitur.

Quid vero Satira sexta? Nonne enim in hac, nec ab initio solum (v. 1 — 8), Maecenatem affatur, sed etiam in sequentibus sermonem ad eundem dirigit? Ut vs. 8. *Persuades hoc tibi vere.* vs. 47. *Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor.* vs. 50 seq. — 123 *ita te quoque amicum &c.* vs. 98. *sanus fortasse tuo.* Nihilo minus huic eclogae ab Horatio multo aptius locus datus inter Satiras. Quae si ex Epistolae lege diiudicetur, quodammodo videri possit inepta, quum Sermo sit pulcherrimus. Cur enim patrono proprie, ut Epistolae desiderat natura, narraret, quae is ignoraret unus minime omnium? Cuncta vero sunt apta et aequa, si constat id, quod tum ex argumento, tum ex loco, quem Poëta operi inter Satiras assignavit, arbitror constare, Sermonem non tam Maecenati scriptum esse, quam aequalibus, qui roderent *libertino patre natum* 61). Dedicavit vero

 Maece-

61) Cf. v. 45 seq.

Maecenati, iterata pluribus locis allocutione, primum, quo maiorem, quae de se ipse dicturus erat et de sua cum magno amico necessitudine, haberent fidem. Accedit, quod, quum in tali argumento eius, quem alibi *praesidium et dulce decus* suum *columenque rerum* suarum ex animo appellat, mentionem fieri necesse esset, tum amicitiae sensui indulgeret, tum orationis vigori inserviret amicum animo praesentem alloquendo potius, quam velut absentem describendo. Mitto, illa dedicatione patrono iterum eleganter blandiri Poëtam, quippe quae sentiendi rationem in illo requirat, ab ea, quae notatur, longissime diversam. Nam Satirae quidem Horatianae nomen haec ecloga vel tum facile tueretur, si ab reliquo corpore forte seiuncta, in nostras pervenisset manus. Quippe argumentum omnino est satiricum; idem, quod suo more Satira octava tractavit Iuvenalis. Agitur enim utrobique de vera nobilitate ita, ut falsa aut rideatur, aut exagitetur. Tractatur in Sermone Horatiano haec materia satirica eiusmodi quidem dicendi genere, quod non permultum abhorreat ab eo, quod obtinet in Epistolis ad Maecenatem. Reperitur tamen vel hic nonnihil diversi (cf. VII). Pluribus enim locis singuli, atque inter illos vivi, perstringuntur, ut vs. 12 Laevinus, vs. 24 et 107 Tillius, 121 Novius, 124 Natta. Tale quid a prima et secunda Epistolarum ad Maecenatem (I. 1. I. 7.) abest prorsus. Egregie autem, quid intersit inter Satiram certae personae dicatam et inter veram Epistolam, perspicitur

citur

citur comparandis his, quas modo dixi, Epiſtolis cum Satiris Maecenati dedicatis, quas perluſtravimus. Omnium maxime vero Ep. ſeptima, quantum ſit generis diſcrimen, aperit, ad unum Maecenatem ſic ſcripta, ut ſcribi nemini a quoquam potuerit, niſi ipſo illo tempore, ipſo illo rerum ſtatu, ad C. CILNIUM MAECENATEM a QUINTO HORATIO FLACCO.

En nos ad Epiſtolas delatos, in quarum nulla facile Epiſtolae formam quisquam deſiderabit [62]). Harum eas hoc loco aut omittendas reor, aut leviſſime attingendas, quae nec ad vitia ſtultitiamve hominum notandam pertinent, nec dicendi genere ſatiricum quid redolent. Nonnulla enim ſunt Epiſtolia per certam occaſionem ſcripta miſſaque, quae a vulgaribus nonniſi numeris et munditiis orationis poëticae, modeſte quidem, adhibitis differunt, argumento aut parum aut nihil poëtici habent. Tales ſunt libri I. Epiſtola tertia, quarta, quinta, familiares: quarum una, continens variam interrogationem et adhortationem, miſſa eſt ad amicum in Orientem cum Tiberio profectum; reliquae ſalutationem et invitationem ferunt. Quodſi non alias ſcripſiſſet Epiſtolas Horatius, nemo

 mo

62) An in Ep. VI. et XIX. ad Numicium et Maecenatem denique in libello ad Piſones, diligentius inquirenti Epiſtolae forma deſideretur, nec ne, mox patebit.

mo unquam ne comparasset quidem Satiras atque Epistolas. Idem dici potest de brevi Ep. VIII. ad Celsum Albinovanum; de IX., illo literarum commendaticiarum specimine. Sed reliquas ordine perlustremus.

De primae et secundae materia valet inprimis, quod (VI et III) universe est constitutum. Sunt enim didacticae, argumenti moralis. De dicendi genere, quod in utraque reperitur, supra (p. 17 et 66) diximus. Quibus hoc, si placet, addas. Epistolam illam ad Maecenatem, ut reliquas ad eundem Epistolas, condit quidem illud facete iocandi genus, vel in rebus maxime seriis inopinato recurrens, quod in ditissimi et delicatissimi hominis coenaculo regnasse, non temere existimat Wilandus [63]): quo ioci lepore illarum Epistolarum urbanitas mire omnino adiuvatur. Quantum vero hoc differat a sale Satirae mordaciore, quid ego commemorem?

Sequitur sexta ad Numicium; in qua discrimen, quod quaerimus, paullo difficilius videatur repertu. Cuius argumentum si paucissimis describendum esset, dicerem, Numicio beatam vitam sollicite appetenti Horatium commendare illud: „nisi, *nil admirari* (i. e. Aristippi, sapientis, more ab omni animi perturbatione sibi cavere) saltem *sibi constare.*“ Suspicor

63) Ad Epp. T. I. p. 21.

ſpicor autem, Numicium fuiſſe et fervidum ingenio hominem, a felicitate abhorrentem eo, quod ab animi tranquillitate, a ſedatiore quovis ſtudio eſſet alienus; et inconſtantem ſimul, ut vel in iis, quae vehementer appeteret, ſecus ac plerique, qui magno impetu feruntur, ſaepiſſime variaret; non una animi perturbatione agitatus, ſed inter plures miſere diviſus et distractus. Alterum ſi alteri aſſumas, apte cohaerent duo illa vitae tuendae praecepta, quae Noſter illuſtrat, omneque Epiſtolae argumentum a principio usque ad finem callidius eſt ad peculiarem Numicii indolem comparatum. Cur ad Numicium potiſſime, quem neque hiſtoria memorat, neque cetera Poëtae noſtri opera notiorem nobis reddunt, hancce Epiſtolam ſcripſerit Flaccus, diſertis quidem verbis non proditur. At nonne ipſum huiusce modi argumentum ſufficiat cauſſae in ſingulari hominis ingenio et moribus quaerendae? Quos quum egregie indagaverit WILANDI ſolertia ita, ut unum tantum imagini lineamentum, ad priorem Epiſtolae partem facilius explicandam, reliquerit addendum: miror, eundem in Prolegomenis ſic eſſe locutum [64]), prima

[64]) T. I. p. 115: „Dieſe Epiſtel gehört unter diejenigen, die mit Briefen in der eigentlichen Bedeutung nichts weiter gemein haben, als die Anrede an eine gewiſſe Perſon, das *Vale* am Schluſs, und den Anſchein, ohne Praetenſion an Methode, Kunſt

prima ut discrepent extremis. Certe iam nobiscum negabit, Poëtam, de quo ipso valeret, quod de alio dixit, illud *nil molitur inepte*, huius argumenti Epistolam non ad quemvis fuisse missurum. Nam profecto

Kunst und mühsames Ausfeilen, so zufällig, wie Gedanken und Ausdruck sich dem Schreiber angeboten, hingeworfen zu seyn. Es ist ein Discurs in Versen, der eben so gut, ja noch schicklicher, (?) einen Platz bey den Sermonen oder Satiren unsers Dichters hätte einnehmen können, als die Epistel am Maecenas, welche die sechste Stelle unter den Satiren des ersten Buchs erhalten hat." Magis etiam mira sunt nonnulla eorum, quae dicit HABERFELDUS (Prolegg. ad hanc Ep. p. 468): „Ob Numicius -- der Gegenstand war, der den Dichter zu so feinen Reflexionen über die menschliche Glückseligkeit veranlasste, -- oder ob, *wie diess bey vielen andern Briefen der Fall ist*, nur aus Freundschaft der Name desselben an der Spitze dieses Lehrgedichts stehet, bleibt ungewiss." Quae tandem est illa Epistolarum Horatianarum multitudo, ubi, amicitiae dans aliquid, nomen amici in fronte ponat, in ipsius Epistolae corpore et colore nullam proprie eius habeat rationem? Ego vero ullam esse nego, de qua certis argumentis tale quid constet; duas (hanc ad Numicium et Ep. ad Pisones), ubi contrarium non ad certi quidem evidentiam, sed ad veri similitudinem tamen eamque haud exiguam, possit perduci. Nam hoc mihi dabit Vir eruditus, Horatium tum demum suo ingenio suaque urbanitate digne Epistolam scripsisse, si primam cuiusvis Epistolae legem, ut scribas, quae proprie conveniant ei, cui scribas, non neglexerit. Utrum vero et Horatio et interprete dignius: sumere, elegantissimum hominem in perpaucis illis libellis

profecto Horatius non is est, qui praecepta de moribus qualiacunque ingerat in quemvis; neque is, quem, si quidem Epistolas scribere voluit [65]), fugere potuerit primaria epistolae cuiusque lex, ut peculiarem habeas rationem eamque perpetuam eius, cui scribas. Numicio igitur haec Ethicae cuiusdam exquisitioris vereque practicae, qualem magistri quidem in scholis non solent docere, Horatius unus omnium optime docet [66]), capita praecipue opus fuisse: eo ipso, quod ei potissimum scripta est Epistola, satis arbitror constare. Non enim, ut in Satira sexta ad

---

libellis, ubi historica desunt, se inferiorem fuisse; an statuere, ut fere Socrates in Heracliti libro: quum plurima illa, ubi acutum cernimus, aptissima sint, fore, ut pauca, quae ob temporis et loci distantiam non liquent, non minus apte sint et lecta et tractata? Ceterum Haberfeldo ista scribenti fortasse obversabatur recentiorum usus, vel abusus potius. Qui poëmata didactica, ut Satiras, Epistolas, amico inscriptione dedicant honoris caussa, in ipsa Satirae vel Epistolae serie eius saepe ne nomine quidem appellato, nedum habita amici ratione peculiari. Tantum vero abest, ut veterum scriptorum optimi quique huius moris exemplum praeiverint, ut potius hoc illi egerint, ut, etiamsi inscriptio reperiatur nulla, ex ipso poëmate, cui potissimum accommodate scriptum missumque sit, perspiciatur.

65) Cf. not 1.

66) Gratulemur nobis aetatem, qua vel tiro quivis Wilandi et quorundam aliorum interpretum ope in verum sapientissimae huius Epistolae et similium operum sensum possit sine negotio penetrare, de

ad Maecenatem, is, ad quem missa est ecloga, doctrinae commendatae proponitur exemplum [67]; sed admonitione docetur [68]). Quod autem vitia Numicii, eaque, quibus is maxime indigeret, non clarius patescunt ex Epistola, eius rei caussa inde videtur ducenda, quod non ex intimis ille censeretur Horatio familiaribus. Horum enim vitia apertius etiam tangere

---

de qua olim vir eruditissimus idemque acutissimus, IVL. CAES. SCALIGER, quamvis, quid sibi velit Horatii *nil admirari*, haud ignoraret (*Poët.* VI. 7. p. 808.), ausus sit edicere: Sexta nugatrix de beatitudine. Quin laeto adestis, nugae hoc genus, ut illud vs. 15, quod manare non potuit nisi de sapientissimi hominis pectore puro: *Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui, Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam.* Nam aut ego fallor, aut ipsum illud est, quod feliciter natis solet intus βομβεῖν:

„Doch *selbst die Tugend kann kein Schwärmer weislich lieben.*
Die Tugend ist den schönen Formen gleich,
Die jungen Künstlern zu Modelen
Ein Polykletus gibt: Ihr Knaben, hütet euch,
Die Schönheitslinie nur ein Haar breit zu verfehlen!"

Sed probavit censura tantum non omni Sermonum atque Epistolarum Scaliger, qui ex Iuvenale maxime sibi informasset speciem, ad quam male exigeret Horatium, se de hoc quidem genere operum iudicare non potuisse.

67) Serm. I. 6. v. 1 — 15. 50 seq. 98.

68) Hoc ex toto orationis colore, inde ab initio usque ad extrema illa: *Si quid novisti rectius istis, Candidus imperti: si non, his utere mecum,* intelligendum puto.

gere solet 69). Quodsi quando cui, quocum non artissimo necessitatis vinculo iungeretur, monendo vellet prodesse: praeceptionem ita tradi consentaneum erat, ut haud desideraretur urbanitas; diligenterque caveri, ne fido offenderetur medico sanandus. Ac tum quidem dabatur locus explicandi artificii, quo maxime continetur Epistolae didacticae virtus, ut, quae proprie singulis scripta sunt, ita tractentur et temperentur, ut omnibus promiscue lectoribus scripta esse videantur. Iam vero non est, quod haec Epistola Satiris potius adnumeretur. Materia enim talis, qualis praestantissimarum Horatii Epistolarum: διδακτική potius quam ἐλεγκτική (III. VI). Dicendi genus satiricum non est 70), sed potius philosophicum (cf.

69) Ut cum Iul. Floro agit (Ep. I. 3, v. 25 seq.); cum Aristio Fusco suo I. 10, 44 seq.; cum Bullatio I. 11, 30; cum Quinctio I, 16, 17 seq. &c. Nimirum hoc est Persianum illud: *Omne vafer vitium* &c., quod Epistolas Horatii propius etiam quam Satiras spectare mihi videtur.

70) Adderem, quod etiam observavit Felsius meus, in Ep. ad Numicium dicendi modum multo minus esse satiricum apud Horatium ipsum, quam in Wilandi versione, nisi id in Satiris quoque passim usu veniret, ut, Recentiorum palato accommodate, exquisitius conditae apponerentur epulae. Sic in Ep. ad Numicium vs. 9. *miratur eodem pacto* multo minorem habet vim, quam quod substituitur: *Am Bewunderungsfieber krank seyn*; ut vs. 15 *Aristid* pro generali illo *aequus*. — „Damit *du ja das Unglück* nicht *erleben müssest, dass ein Kerl wie* Mutus *dir hinterm Rücken eine* *reiche*

VII), licet passim ironia tinctum. Forma denique epistolica est. De exteriore saltem dubitare non sinit allocutio in libelli initio, in fine *vale* illud. Interiorem autem etiamsi certam esse negaveris, maxime probabilem esse tamen, fatearis necesse est, si quidem nostra recte processit disputatio.

De Ep. VII — IX. supra passim quaedam monuimus. Ep. X. ad Fuscum Aristium, dictata post Fanum Vacunae, et secundi libri Satira sexta, persimilis quidem sunt argumenti, nec multum differunt dicendi genere. At praeterquam quod forma distinguuntur: in Satira illa, iis certe locis, ubi incommoda vitae urbanae strepitumque urbis Poeta depingit (v. 20 — 39; adde Cervii fabellam v. 78 — 117), et ubi misere curiosos amoliri studet, a quibus ob Maecenatis maxime consuetudinem (*quia Deos propius contingeret*) de novis rebus exploraretur (v. 40 — 58), materiae satiricae maior ubertas comparanti

reiche Erbin wegschnappe, deren Geld ihn auf der Stelle zu deinem Bessern macht" (vs. 21, 22). Haec sunt Interpretis. — Interrogationes sunt pro simplicibus enuntiationibus vs. 24, 25. 28, 29. — *Vor dem Munde wegfischen* (cf. vs. 33) — *wohnt auf deinen Lippen* — *mit ihrem Gürtel* (vs. 38) — *zum Vieh sich trinkt* — *zu Tode frisst* — *lacht* (vs. 63, 64): haec et plura sunt Interpretis. Cuiusmodi ingeniosas mutationes et additiones singulas intuenti leviores videantur; coniunctae multum faciunt ad sermonem sale mordaciore condiendum, et satirico colore penitius inficiendum.

ranti facile apparebit; nec fugiet diligentius percontantem, quae de diverso orationis colore in Satiris atque Epistolis (VII) dixi, quatenus ipsa hac Satira atque Epistola, licet utraque plura habeat communia, possint confirmari. Epistolae XI. ad Bullatium et XII. ad Iccium ratio supra est adumbrata. Quarum posteriorem ne mihi obiiceres neganti, in Epistolis locum esse, quo vivos singulos aperte perstringi certum sit: addidi illud *aperte*, nec temere usurpavi verbum *perstringere*.

Ep. XIII. ad Vinium Asellam habes simplicis admonitionis specie facetiae festivitatem, ut Ep. XX. ad librum Epilogorum omnium lepidissimum. Dicendi genus ironia elegantissime tinctum; satirici salis in utraque nihil. Neque in Ep. XV. ad Numonium Valam, quae hilari et remisso fusa, non ingratam hominis, qui sibi indulget, negligentiam, vel laxissimo illo orationis vinculo, spirat. Restant igitur ex libro priori Ep. XVI. et XIX.

Ep. ad Quinctium, argumenti moralis, vetus illud οὐ δοκεῖν, ἀλλ' εἶναι, gravissime commendans, Philosophi praebet orationem. Paucis versibus (57 — 62), ubi eius, qui vulgo appellatur *vir bonus*, imago proponitur, didacticum dicendi genus satirico commutatur. Universus autem Epistolae color est, qualem esse convenit ad familiarem scriptae, qui amicam admonitionem eamque liberrimam ferret, notam satiricam fuisset miratus.

Epiſtolâ ad Maecenatem ultimâ Flaccus explicat ei, cuius vatem ſe alibi appellat, cur tot habeat obtrectatores. Iam comparari illa poſſit cum Sermonum I. 6, ac quaeri, num, quae Epiſtola continentur, neſcierit Maecenas magis, quam quae Satira; annon igitur Romanis potius ſcripſerit iſta quam amico, aptius facturus Satirae quam Epiſtolae argumentum. Par quidem non prorſus ratio. Nam quae attinebant ſuam cum amico neceſſitudinem, Maecenati notiſſima erant; certior fieri poterat de iis, quae ſpectarent malorum poëtarum et criticorum de Horatio arbitria. Illa ſcibat, haec ſuſpicabatur. Quid? quod diſertis verbis interrogaſſe videatur Flaccum, unde fiat, ut, qui clam adeo probetur, idem palam tot habeat inimicos. En. vſ. 35:

> Scire velis, mea cur ingratus opuſcula lector
> Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus.

Fortaſſe igitur, quum aliquando coram hoc ipſum ex Horatio quaeſiviſſet Maecenas, Noſter reſpondit: Dicam mox, miſitque Epiſtolam; quae proxime quidem, atque ex inſcriptione, docto Maecenati ſcripta, ſed eius eſt argumenti, ut revera Romanorum cauſſa magis quam Maecenatis ſcriptam putes. Nihilo minus inter Epiſtolas locum ſuum tuetur, quarum habet formam. Tamen eiusmodi eſt, ut, niſi in ſeriorem incideret Poëtae aetatem, quum edidiſſet Satirarum librum utrumque, brevi editurus Epiſtolarum συλλογὴν, ab ipſo Satiris iure non admodum

dum mitiori inseri potuisset, quam Serm. I. 4. *Eupolis atque Cratinus* &c. Sunt enim omnino Satirae quaedam Horatianae, quae ad Epistolam, Epistolae nonnullae, quae ad Satiram propius accedant, licet numero paucae, nobis iam perlustratae. In quibus ipsis aliud esse simile, aliud idem, rem accuratius examinanti patebit. Sic in Serm. I. 4 passim in singulos iaciuntur tela, ut vs. 52 notatur Pomponius; vs. 65, 66 Sulcius et Caprius; 69 Caelius et Birrius; 72 Hermogenes Tigellius, 92 Rufillus et Gorgonius, 94 Capitolinus Petillius, 109 Albii filius, 110 Barus, 112 Scetanius, 114 Trebonius. Absunt talia ex Ep. XIX. Nam unum ex vs. 15 Cordum, qui ne nominatur quidem, sed communi Iarbitae appellatione facete significatur, non excitabis. Scilicet *rupit miserum Timagenis aemula lingua.*

De uberrimis secundi libri Epistolis ad Augustum et Florum, Criticae ad opera et studia Romanorum poëtica elegantissime adhibitae speciminibus, post ea, quae supra de utriusque eclogae colore (IX) dixi, vix attinet hoc loco disserere. Nam ecloga ad Augustum scripta est non sine certa occasione, cuius mentionem fecit Suetonius [71]), vereque habetur Epistola. Primis enim viginti duobus versibus oratio omnis ad unum proprie spectat Augustum. Eiusdem in sequentibus Poëta frequentat allocutionem, ut vs.

119

---

71) Conf. Wiland. T. II. p. 4 seq. et 37.

119. *Sic collige* — 125. *si quis hoc* — 208. *Ac ne forte putes* — 214. *Verum age, et his* — *curam redde brevem, si* — *vis complere* &c. — *cum tibi librum* &c. — 226. *ut simul atque rescieris* — *arcessas et egere vetes* &c. — 245. *At neque dedecorant tua de se iudicia* &c. — 253. *tuisque auspiciis* &c. — 256. *te principe* — 258. *maiestas tua*. Epistolâ ad Florum, etiam per occasionem scriptâ (v. 20 seq.), missâque ad eum cum Tiberio absentem, respondet Horatius amici querelis de carminibus non missis ita, ut simul de eorum, qui elegantiores videri tum vellent, ineptiis lepide, de poëseos (vs. 109 seq.) et vitae studiis (v. 144 seq.) sapientissime sermocinetur. Insunt loci, qui possint legi in Satira: totam eclogam pro Epistola quivis, nemo pro Satira habebit. Sed nimis moror diu in iis, quae nulla premuntur difficultate. Age disputationem experiamur difficiliorem.

XI.

Extremo enim loco dicendum est de *Arte Poëtica*, quam vocant, videndumque, an haec quoque ad rationem nostram revocari possit, nec ne. Utrum haec est singularis generis, qualis a nonnullis habetur, qui eam pro *carmine didactico* (sensu vocis angustiori) habent, ut post alios MICHELSENIUS et

REGELS-

REGELSBERGERUS 72); an est Epistola; an Satira denique? Ultima quaestionis pars mira possit quibusdam videri. Quid vero? si simpliciter probanda esset eorum sententia, quibus omne poëmatis propositum absolvitur communi malorum illius aevi poëtarum notatione: nonne tum plane ad satiricum genus esset referendum, ad quod magnam eius partem referendam esse iam sensit SCALIGER 73)? Quo enim iure, si illorum sententiae simpliciter subscribas, Epistolis id annumerare possis, non video.

WILANDUS quidem, in Epistolis explicandis memor, Horatium scribere solere nemini sine certa occasione, eamque in quovis paene huius generis opusculo expressam exstare, occasionis vestigia etiam in libello de arte poëtica, cuius materiam, orationem et formam Epistolis ad Augustum et Florum parum dissimilem deprehenderet, quaesivit, eaque maxime, opinor, reperisse sibi visus est tum in allocutionis genere, tum in omni libelli argumento. Quaeritur enim, quomodo Horatius se habuerit ad Pisones; quid

---

72) *Horazens Dichtkunst*, in neu entdeckter Ordnung: das vollkommenste Lehrgedicht des Alterthums &c. Mit Commentar &c. von I. C. REGELSBERGER. Wien, 1797. 8.

73) l. c. p. 809, 810. Quid? quod BAXTERUS (*Iudic. de Horatio atque eius scriptis*) scribere non dubitavit: „Artem Poëticam comico, hoc est, satyrico, stilo conscripsit. Satyra haec est in sui seculi Poëtas, praecipue vero in Romanum Drama.“

quid consilii in libello ad hos potissimum scribendo mittendoque. Atque hunc locum nollem praetermisissent SCHREITERUS et ASTIUS! Nam hoc praetermisso, Epistolam, quam hanc eclogam esse volunt ipsi, se tractare obliviscuntur, nec absolvunt quaestionem. Quae ut tandem aliquando absolvatur: ea, quae opere ipso sine ulla dubitatione expressa cognoscuntur, ab iis, quae nonnisi significationibus adumbrata colliguntur et divinantur, distinguenda sunt non negligentius, quam in singulis factum vellem Platonis Dialogis; in quorum plurimis, nisi id adhuc esset neglectum, disputationes de scriptionum argumentis, quaestionesque, quid spectaverit scriptor, iam eo forent perductae, ubi acquiescerent omnes; quum nunc quidem alius in aliam fere discedat sententiam.

Iam certum quidem est (nam qui in hoc libello explicando agunt argutius quam verius, eos nihil moror); 1. opus pertinere ex materiae indole ad genus didacticum, sensu sumtum latiore (IV); 2. a dicendi genere et orationis colore id convenire cum longioribus Horatii Epistolis, ut Ep. ad Augustum, ad Florum &c. 3. de argumento illud quidem constare, curiosius moneri a scriptore, artem esse poeticam, sine qua ne ipsum quidem satis valeat ingenium, quam eius artis discendae tractandaeque rationem via et ordine, atque ita, ut nihil desit, doceri; studiosius difficultates, quibus hoc studium prematur, exponi, quam earum superandarum praecepta tradi. Operis igitur argumentum a Flacco ita com-

paratum

penitus non temere dicemus, ut potius mali poetae deterreantur, quam ut poeseos intelligendae cupidi et incitentur et promoveantur. Primaria autem totius operis propositio, circa quam reliqua versantur, omnino illa habenda erit:

— — — — — — mediocribus esse poetis
Non homines, non Di, non concessere columnae.

Quam ut gravissime inculcaret, eorumque, quibus id maxime expediret, animis inureret plane, non opus erat neque doctrina plenius descripta, neque omnium poeseos generum uberiore expositione; sed commemoratione tantum eorum, quae ad magnum Poëtam requirerentur, cum perpetua vitiorum oppositorum notatione, miseris bellulorum, qui tum vigerent, hominum ineptiis ubique illustrata.

His, quae diximus de argumento operis, nihil admissum est, de quo recte dubitari a quoquam possit, qui reputet, Horatium in omnibus scriptis didacticis, non incuriosius, quam suo tempore suoque scribendi genere PLATONEM, suae aetatis, eorumque, quibus aequales cummaxime viderentur indigere, rationem habuisse perpetuam.

Haec tamen haud sufficere apparet ad Epistolae naturam agnoscendam: quod fieri nequit nisi in eo, quod certae personae, vel certis personis quodam

M necessitu-

neceſſitudinis vinculo iunctis, mittendum ſcribitur ita, ut earum in ſcriptionis perpetuitate habeatur ratio. Eſtne igitur libellus de arte poetica ſic ſcriptus? Habet certe illam Epiſtolae poeticae formam, quae eſt eclogis ad Auguſtum et ad Florum ſcriptis, quas Epiſtolas eſſe negavit nemo. Nam non ſolum initio operis allocutio eſt ad Piſones vſ. 6, ſed etiam in ſequentibus ſaepius recurrit 74), ita ut propius ad illos

---

74) vſ 24. Maxima pars vatum, *pater et iuvenes patre digni*,
Decipimur ſpecie recti —
234. Non ego inornata et dominantis nomina ſolum
Verbaque, *Piſones*, Satyrorum ſcriptor amabo —
270 At *veſtri proavi* Plautinos et numeros et
Laudavere ſales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte, mirati: ſi modo *ego et vos*
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus et aure.
291. - - - - - - - - - - - - - - - - *Vos, o*
Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quod non —
366. *O maior iuvenum, quamvis et voce paterna*
Fingeris ad rectum, et per te ſapis; hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi: - - - - - - - -
372. - - - - - - - - mediocribus eſſe poetis &c.
385. *Tu nihil invita dices facieſve Minerva:*
Id tibi iudicium eſt, ea mens. Si quid tamen olim
Scripſeris, in Maeci deſcendat iudicis aures,
Et patris et noſtras; nonumque prematur in annum,
Membranis intus poſitis. Delere licebit
Quod non edideris —

los plurima pertinere ſtatuendum ſit, niſi Horatium malis vage atque ambigue ſcripſiſſe, (quo vitio minime laborabat,) quam certo, ut ſolet, conſilio ductum. Quomodo autem ſingula illa monita et praecepta propius pertineant ad peculiarem Piſonum conditionem, de eo certi quidem nihil efficitur: id quod accidit in pluribus Epiſtolarum Horatianarum, unde, quomodo ad eos, quibus ſcriptae ſunt, Horatius ſe habuerit, nonniſi divinando aſſequare. Iam vero, ut in illis, ſic in hac ecloga, ſi omnem, quae inde redundare poſſit, voluptatem percipere velimus, ad coniecturam eſt confugiendum; ducenda ex operis argumento et forma hypotheſis quaedam. Quae ſi eiusmodi erit, ut nihil ei repugnet, eâdemque id, quod obſcurum erat et ambiguum, felicius tollatur, quam ceteris coniecturis: ea probabilitate commendabitur, qua in eiusmodi rebus acquieſcendum videatur.

Hîc facile occurrit Epiſtolam accuratius legenti ea, quam primus propoſuit atque exornavit WILANDUS, protulit poſt etiam ut ſibi inventam (de quo credendo faciles ſimus, quum ex certis eclogae locis ſponte illa effloreſcat) COLMANNUS, coniectura: Horatium Piſonis patris voluntati gratificantem, Epiſtolam hoc maxime conſilio compoſuiſſe, ut filiorum Piſonis maiorem, ad poëtices ſtudia magis ſaeculi more delatum, quam naturae impetu raptum, poëmatum pangendorum libidine levaret, propoſita et rei difficultate, et mediocrium poëtarum ignominia. Cui coniecturae quod opponit cenſor quidam verſionis Wi-

landianae [75], eam nulla re in ipso poëmate obvia niti, verum esse nego. Nam quae duobus potissimum locis insunt significationes, v. 366 seq. et 385 seq., tam plane ducunt ad illam coniecturam, ut vel hanc ob caussam istos versus disertis verbis laudare ad coniecturam suam firmandam supervacaneum putaverit Wilandus [76]. Neque satis aequum Wilandianae sententiae arbitrum se praebuit nuperrime ASTIUS. Qui quae

75) *N. Bibl. d. sch. Wiss.* T. XXVIII p. 66: „Diese Vermuthung - - - muss für Leute, die nicht leichtgläubig sind, den Fehler haben, dass sie sich auf nichts im Gedichte - - gründet. Alles, was Hr. Wieland anführt, sie wahrscheinlich zu machen, ist die Stelle eines alten Scholiasten: *nam et ipse Piso poëta fuit*." Miror sic scripsisse, qui ipsa Wilandi Prolegomena legerit. Sed nuperrime etiam ASTIUS in docto libello de Platonis Phaedro (Ien. 1801) p. 35 scribere ausus est: „Si argumentum a Wilandio, quamvis multo cum acumine magnaque veritatis specie propositum, cum ipso carmine contuleris ac comparaveris, *nulla* eius *vel indicia* vel *documenta* in ipso carmine reperiri in oculos tibi incurret". Sumamus Astium vere negasse: unde quaeso, quam ipse dicit, magna ista veritatis species?

76) Conf. tamen eius Prolegg. p. 204. Quod idem censor dicit, ex vs. 366 seq. non minori iure, quam quod colligit Wilandus, colligi posse, Pisonum maiorem magno fuisse ad poësin ingenio, studio defecisse: in promtu ad id est responsio. Si Pisonis ad Poësin excellens fuit ingenium: aut Horatii ingenium una cum Wilando plane ignoramus, aut longe alia ad eum Poëta usus fuisset allocutione.

quae obiecit, ea praevidisse atque adeo praecidisse videtur omnia Wilandus iis, quae posuit 77). Huius igitur

77) Nam quod affirmat Astius l. c. p. 33, si illud consilium Horatius habuisset, ut Pisones iuvenes difficultatibus pingendis a poësi deterreret, longe aliam viam ingressurum fuisse; hoc non est probare, sed ita opinari, ut tuam eodem iure opponas opinionem. Equidem igitur cum Wilando existimo, hac ipsa, quam secutus est, via ad illud consilium (quod ceteroqui non unicum eclogae scribendae, et *fortasse* — nam quis de tacita scriptoris mente certi quidquam pronuntiet? — ne primarium quidem fuit) perveniri ab Horatio potuisse. Quod obicit Astius, tum fore, ut in offensionem incucurrerit Horatius, qui inurbane Pisonibus praecepta de arte poëtica obtrusisset, nulla excusatione praemissa: ei prudenter obviam ivit Wilandus p. 194 („In einem Werke, wo man eine Absicht hat, die bloss dadurch erreicht werden kann, wenn sie nicht angekündigt wird, ist es am besten, gar nichts anzukündigen"). Et quorsum excusatione opus erat, si, ut Wilandus p. 191, 192 sumit, Piso pater ipsum hortatus erat Flaccum ad perversas de poësi opiniones filio evellendas? Ut enim apud patrem excusatione opus fuisset, apud iuvenem non erat: nisi forte in aliis ad nobiles iuvenes Epistolis, ubi monet et docet, inurbanus censetur excusatione praetermissa. Quae adiciuntur p. 34, eiusmodi sunt, ut, quod verum inest, omnium minime fugere potuerit Wilandum. At aliud est, attingere, ut omnes Romani liberaliter instituti solerent, doctrinae elegantioris animique caussa poësin; aliud, Pollionis ingenio Tragoedias componere ita, ut inter Varios et Virgilios laudari possis (Serm. I, 10, 42); aliud denique, quod Pisonum maiori accidisse suspicatur Wilandus p. 190, 191, sine ingenio et sine vera de artis poëticae vi, dignitate

igitur hypothesi minime spreta; cur ad Pisones maxime scriptionem converterit Horatius, explicantes, libellum magna argumenti parte satiricum [78]) ad epistolicum genus revocamus; ita vero, ut illam coniecturam cum libelli argumento primario supra adumbrato artissime coniungamus. Nam qui, quae suo aevo scripsit, omnibus aevis scripsisse censendus est, is multo etiam magis, quae ad singulos scripsit, quantum erat tum temporis hominum venustiorum, ad id omne ea voluit pertinere. Quod quum per se intelligitur communi magnorum scriptorum consuetudine, tum Sermone libri primi extremo confirmatur [79]). Unum adiicere libet sine studio in caussa cognoscenda versanti. Si quis dicat: Heus tu, qui utrum-

tate ac difficultate notione, coeco studio ad carmina, fortasse scenica, magno molimine condenda atque adeo edenda deferri. Ceterum doceri cupio, quo tandem iure Asstius falsam dicat eam, qua utitur Wilandus de iis locis, ubi poëtas vel popularium suorum de Poësi iudicia sale satirico perfricat Horatius, iudicandi rationem. Num Atticae dicacitatis, quae istis locis inest, minus perspectae arguendus erat idem ille, qui omnium disertissime eorum vim enarrasset p. 192 — 194, 201. 202. 204?

[78]) Hinc, ubi docet, *quo ferat error*, (v. 453 seq.) acidissimi illius aceti, quod ceteris Epistolis Horatianis admisceri negavi p. 18, non parcus est Noster. Opportunissime.

[79]) Serm. I, 10, 81 seq.

utrumque coniungis; utrum magis cordi fuisse putas Horatio, ut malos sui aevi poëtas exagitaret leviaque hominum de poësi iudicia ad severitatem traduceret; an, ut filiorum Pisonis maiorem moneret ac revocaret: equidem ita respondebo compellanti. Prius omnino magis etiam cordi fuisse putaverim Poëtae: si quidem per se gravius est talique ingenio dignius, publice prodesse quam plurimis, quam privatim uni. Sed, quum alterum minime excluderetur altero, sed potius contineretur; quum perversis aevi de re poëtica opinionibus emendandis etiam Pisonum maiori, ad quem propius spectat oratio, error eriperetur, et rursus Pisonibus monendis, quicunque Romanorum eiusmodi consiliis egerent, sibi consultum reperirent; praesertim quum ab Horatio quam creberrime a singulari ad generale traducantur praecepta: ulterior disputatio plane videtur supervacanea. Id saltem hac expositione me consecutum spero, ut, nisi dissensio prorsus tollatur, res eo tamen deducta videatur, ubi facile possint, si velint, qui pugnant, inter se conciliari.

Sed videor adhuc mihi videre in sua perseverantes sententia, qui hanc eclogam *carmen didacticum* esse contendunt eo sensu, quo sunt VIRGILII Georgica aut OVIDII Ars amandi. Qui nobiscum facerent, si sine omni studio perpenderent, primum, nihil initio praemitti de futuro carminis argumento, ut solet in illo genere; nec satis distinctis tractationis partibus

partibus orationem decurrere: quamquam enim partitione quadam et viam ſcriptorem procedere attentiores intelligent, non tamen ita manifeſte deſcriptam ac diſtinctam eſſe eam viam ac rationem, quam genus illud requirit [20]). Nec tam docere, ac rationis cujusdam ordinem deſcribere ornate dicendo, ut fit in ejusmodi carminibus didacticis, Horatio eſſe propoſitum, quam monere de difficultatibus et erroribus; idque ſtilo illo Sermonum more minus adſtricto, qui permitteret in diſſerendi curſu commorari paullisper in deverticulis, ubi propriae de ſingularibus quibusdam locis, v. c. de dramatum ſatyricorum dictione, obſervationes poſſent exprimi.

Sed nos interioribus notis rem dijudicamus. At teſtimonia proferuntur ab adverſariis, quibus carmen eſſe probent didacticum ſenſu anguſtiori. Aiunt enim cum REGELSBERGERO [21]), ab ipſo Horatio opus inſcriptum eſſe: *liber de Arte Poëtica*, teſtibus TERENTIANO SCAURO, QUINTILIANO, SIDONIO APOL-

LINARI,

---

20) Nam quae profert Regelsbergerus p. 19 ſeq, ut probet, ſplendide eminere in quoque carminis didactici parte tranſitum, iis, quicunque ſobrierem iudicant, multo minorem vim ineſſe ſtatuent, quam reperire ſibi viſus eſt is, qui ſtudio ſuo eo abripitur, ut Horatii opuſculum quum omnibus carminibus didacticis, quae tulit antiquitas, praeferat, tum Virgilii Georgicis brevitate et compoſitionis ordine ſevero (*an ſtrenger Einheit des Plans* p. 26) id praeſtare contendat.

21) p. 22.

LINARI, DIOMEDE, PRISCIANO; teſtibus interpretibus antiquis, ACRONE et PORPHYRIONE; teſtibus codicibus mſſ. et edd. At, quod illi Grammatici eclogam, quae omnino agit de poëſi, librum de arte poëtica, aut Artem Poëticam, vel brevitati conſulentes [82]), vel veram operis indolem haud perſpicientes, appellant, inde non ſequitur, ſic opus inſcriptum eſſe ab auctore. Potuit inſcribere: *Epiſtola ad Piſones.* Quid? quod fieri poſſit, eum nihil plane inſcripſiſſe. Nam ad Piſones miſſum eſſe libellum, primi verſus docebant. Nimirum egregie falluntur, qui apud antiquos anxiam recentiorum ſcriptorum in titulis librorum minorum definiendis curam quaerunt. Sin vero aliquis maiorem, quam nos concedimus, citandi opuſculi exemplis vim atque auctoritatem tribuit, idem ex altera parte non omittet, a CHARISIO Inſtitt. Gramm. duo loca opuſculi Horatiani laudari appoſito indice: *Horat. Epiſtolar.* Quam auctoritatem qui plane infregiſſe ſibi videtur Regelsbergerus monendo, Genitivum iſtum non ſuppleri non poſſe niſi addita voce *volumine*; etiam hic cupiditate ſua abripitur. Quidni enim intelligi etiam poſſit *libris*, vel συλλογῇ, vel tale quid? Sed Chariſium quoque mittamus, ſi placet. Verum enimvero, qui illam Grammaticorum auctoritatem ſecuti, interrogant, quo tandem modo accidere potuerit, ut

82) Conf. ESCHENBURG. ad Hurdii Commentar. in Ep. ad Piſſ. p. 372, 373.

Codicibus separatum reperiatur a ceteris Epistolis opusculum et singulari titulo inscriptum, nisi sic voluerit auctor: iis responsum poterat videri eo, quod monuit GESNERUS, TERENTII SCAURI, qui Hadriani tempore vixit [83]), *Commentariorum in artem poëticam Horatii librum X.* laudari a CHARISIO p. 182, 5 et 188, 17 ed. Putschii. Inde enim est probabile, mature Grammaticos Horatium interpretari coepisse, atque accidisse id, quod accidit in *Somnio Scipionis* ex CICERONIS opere de Republica excerpto et per MACROBIUM illustrato; ut alter non magis inscripserit *Artis Poëticae* titulo, quam *Somnii Scipionis* alter, illaque inscriptio non minus quam haec veteribus Interpretibus debeatur [84]).

His igitur, quae vulgo afferuntur, et nuper non sine acumine et doctrina sunt defensa, parum inesse momenti, quo minus libellum pro Epistola habeamus, apparet. Epistolam vero esse, materiâ, dicendi

---

83) Teste GELLIO N. A. XI, 15.

84) Religio est omittere, me Charisii opere grammatico ex illa Putschii editione Gedani frustra quaesito aegre adhuc carere. GESNERUM tamen una cum FABRICIO aliisque gravissimis viris ea levitate usos fuisse haud suspicor, ut laudarent Commentariorum in *artem poëticam Horatii librum* X, si duobus illis Charisii locis vox *Horatii* abesset. Verum docebunt, qui habent librum.

dicendi genere et forma, quibus non differt a reliquis Epistolis Horatianis, palam est. De forma vidimus. Materiae autem ea est varietas, dicendi generis ea libertas et subitanea vis, atque omnino sermocinationis ille modus, quem in omnibus Sermonibus atque Epistolis Horatianis, in nullo didactico, quod sensu dicatur angustiori, Romanorum carmine deprehendimus.

Nihilo minus sensu vocis ampliore didacticum poëma eodem iure dici queat, quo maiores Epistolarum Horatianarum, ut ad Augustum, Florum, Lollium, Scaevam &c. Nonnisi ambitu maiore, et argumenti fecundioris natura, quod artem pateretur et ordinem paullo exquisitiorem, inter ceteras eiusdem generis eclogas eminet. Ac si nihil aliud voluissent, quicunque de Arte Poëtica inscripserunt librum: nulla cum istis disceptatione opus fuisset.

Iam quum expositum sit, quo iure haec ecloga habeatur pro Epistola, quo sensu didacticum poëma dici non possit, et quonam possit, licet sit Epistola: rem confectam arbitraremur, nisi exstitisset, qui opusculum nec ad Epistolas nec ad aliud genus eorum, quae Horatius praeterea scripsit, referendum censeret; recitatum esse contenderet coram Pisonibus aliisque amicis convocatis. At primum, etiamsi posset argumentis probari, recitatum esse ab Horatio: quid quaeso efficeretur? Nam si operi ceteroqui inesse reperiantur notae interiores, quibus congruat cum reli-

quis Sermonibus Horatianis, praesertim cum Epistolis: recte ad Sermones referretur, etiamsi res ita cecidisset, ut Horatio praelegere potius, quam mittere, opus mittendi vultu compositum placuisset. Nam proprie quidem mittenda est Epistola poëtica; et plurimae Epistolarum Horatianarum missae videntur. Sed si forte recitatur ei, cui mittenda erat: num recitatione naturam amittit internam?

At recitatum, nedum recitationis caussa compositum esse a Flacco libellum, nec argumentis demonstravit REGELSBERGERUS, nec potest a quoquam argumentis probari. Nam ex forma carminis, quam dicit Vir doctissimus 85), minime id, quod vult, intelligitur. Frequens enim iste dialogismus, quem memorat p. 33, nihil probat, nisi quod nos concedimus, Horatium eodem fere modo per hunc libellum sermocinari, ut in ceteris Sermonibus. Illis autem orationis de Pisonibus ad Romanorum scriptores conversionibus nihil evinci, inde perspicitur, quod in aliis etiam Epistolis Horatianis, quae argumenti sunt didactici, oratio non raro ab eo, cui proprie scribitur, ad alios convertitur, ut in Ep. I. 1 ad Maecenatem vs. 42, seq., 86) qui versus Maecenatem omnium minime spectant, sed

85) p. 153. 33. 34

86) - - - - - - - - Vides quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum turpemque repulsam
Quanto devites animi capitisque labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos &c.

sed universe corruptum aevi genus; ut in Ep. altera ad eundem (I. 19) v. 19 seq., ubi illa apostrophe: *O imitatores, servum pecus!* &c. In Ep. ad Augustum quidem, quam unam affert Regelsbergerus, non sunt tales ἀποστροφαί. At huius erat Epistolae argumentum aliud, aliud Ep. ad Pisones. Illud quum historicum maxime sit, hoc vero didacticum; docentis partes magis quam narrantis talibus orationis variandae ac vocis tollendae praesidiis indigebant. Praeterea, quod Augusti dignitas extorquebat, ut ad eum omnis dirigeretur oratio, quo semel saltem omni ex parte satisfieret noto illi: *Irasci me tibi scito, quod non in eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris:* id non eadem certe necessitate postulabat Pisonum conditio. Quid vero loci illi Horatiani, quos Regelsbergerus laudat [87]? Scilicet non hoc docendi eramus, raro et invitum recitasse Horatium; sed illud, quod doceri nullo modo potest, hanc ipsam ad Pisones eclogam coram Pisonibus ab Horatio esse recitatam.

XII.

Haec sunt, quae de Satirae atque Epistolae Horatianae discrimine moneri posse videbantur; quae eiusmodi esse putamus, ut in posterum minus promiscue habitum iri utrumque poëmatorum genus speremus.

---

87) p. 153, 154.

speremus. Concessimus quidem, esse inter Satiras unam et alteram, quae ex nostrae aetatis appellatione, si materiam spectes, parum habeat eius, quod *satiricum* nominamus, licet eam ob caussam non ad Epistolae formam accedat; porro inter Epistolas unam et alteram, quae *oratione* ad dicendi genus, quali fere usus est Horatius in Satiris, accedere videatur, licet vel tum ei propria relinquatur Epistolae *forma*. Verum enimvero in omni hoc disputationis genere ne quis subtiliorem distinguendi rationem requirat, caute ab omni parte circumspiciendum est, quale sit id, de quo quaeritur. Dicendi enim genera nequeunt accuratissimis notis definiri, quum nonnisi vi differant, omnium autem, quae vi, nec magnitudine, aestimantur, *gradus* non possint nisi universe verbis describi, nec ullo modo ad exactissimam normam revocari, nisi inventa *mathesi intensorum*: id quod, ut olim monui **), indulgentiores nos reddere debebat, tum in antiquis Rhetoribus, apud quos perpaucae reperiuntur notiones de dicendi generibus satis accurate definitae, iudicandis, tum in quacunque recentiorum eiusmodi distinctione censenda. Sic, quod nostrum attinet locum, *comicum* et *satiricum* dicendi genus, licet per se sint longe diversa, tam arto passim confinio secernuntur, ut ab iis, qui verba sua non diligentissime pensitant, fere permisceantur. Accedit, quod in quavis oratione, praesertim longiore, dicendi genus nonnisi *a potiori* denominatur, hae primaria

**) In Comm. *Ueber edle Einfalt der Schreibart*, 1792. In *Eberhard's* Philos. Archiv T. I. p. 2, 3.

maria lege proposita, ut genus nunquam non respondeat dicentis animo. Animus autem pro rebus oblatis ex alio in alium affectum transit; ita ut, ubi severum regnat et grave, nonnunquam ioculare et leve recte admisceatur, ubi ioculare contra et leve principatum tenet, severum et grave: quo universus operis color non aufertur; uti picturam appellamus horridam, abditam et opacam, ubi tenebrae regnant, licet sparsis luminibus distinctae; nitidam contra, laetam, collustratam, ubi lux est diffusa, licet umbris necessariis temperata.

Illud etiam, ne quis desideret, quod praestari non possit, velim reputari. Satirae atque Epistolae Horatianae si quae sunt communia, sunt per generis universi naturam. Scilicet distinximus species duas, quas, si quaestio esset generalis, nec de Horatii operibus singulatim, ne comparassemus quidem, utpote ita a se disiunctas, ut ab altera parte nihil prorsus habeant cognati; ab altera autem tantum absit ut plane se excludant, ut coniunctionem potius et quasi connubium ferant. Nam Satirarum genus (IV.) angustiori, quae nostrae aetatis est, sensu sumtum vidimus nonnisi *materia* constitui, Epistolarum nonnisi *forma*; illud igitur *cuiusvis formae*, igitur etiam *epistolicae*, hoc *cuiusvis argumenti*, igitur etiam *satirici*, particeps esse; ita ut mirum foret, si in singulis nusquam reperiretur ullius convenientiae vestigium; praesertim quum idem sit Horatius, qui Satiras scripsit, et qui Epistolas.

An his vero quidquam tollatur eorum, quibus tum per generis utriusque naturam, tum per singulare Horatii arbitrium, eas differre docuimus, de eo iam aequo rerum aestimatori liberum relinquimus iudicium. Nos quidem haec adiecisse iuvabat, quo magis esset in promtu, an prudenter hac etiam in re expedienda servandum censuerimus Horatianum illud:

Est modus in rebus; sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Corrigenda.

P. 9. l. 5 lege *revocatas*. p. 16. l. 19 *Messii*. p. 23 l. 7. *elapsi*. p. 44 l. 2. *seponere*. p. 16. l. 10, 13 & aliis eiusmodi locis minores lineolae adhibendae erant. p. 55. l. 21 lege *inserto*. p. 67. l. 5. *modo*. p. 81 l. 3 *si*.

INDEX

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM.

Epp.